



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1721

urn:nbn:de:gbv:46:1-5879

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Quintae

FASCICULUS QUARTUS.



BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CC XXI.

*Viro amplissimo, præclaris-
simoque*

**MATURINO
VEYSSIERE
LA CROZE,**

Serenissimi Potentissimique
Borufforum Regis

a consiliis, a Bibliotheca, ab Anti-
quitatibus,

VIPO ΠΟΛΥΜΑΘΕΣΤΑΤΩΙ καὶ ΠΟΛΥ-
ΓΛΩΤΤΑΤΩΙ,

GALLIAE suae, quae eum genuit, &
GERMANIAE, quae eum fovit,
fideri fulgidissimo,

BONORUM OMNIUM DELICIO,

Octavum hunc supra vicesimum

BIBLIOTHECAE

HUJUS

FASCICVLVM,

ejus potissimum opera decoratum,

incredibilis suae in eum pietatis atque
observantiae

Syngrapham

benevole suscipiendam committit,

UTQUE PORRO ET SIBI, ET
HUIC OPERI,

benevolentiam suam intemeratam
conservet,

cum ardentibus votis, ut coelum hoc deposti-
tum suum ab omni calamitate immune praestet,
seroque ad se redire
jubeat,

omnibus modis contendit

EDITOR.

Offeruntur tibi hoc fasciculo

- I. JACOBI HASAEI de צלצל דנים & צלצל כנפים ad illustrationem Job. XL: 31. & Es. XVIII. 1. Dissertatio p. 563.
- II. Philippi COVPLET, de statu & qualitate missionis SINICAE Epistola cum notis Maturini Veyssiere LA CROZE p. 618.
- II. Maturini Veyssiere LA CROZE diss. qua ostenditur Scriptorem quaestionum ad Orthodoxos, qui vulgo putatur esse JUSTINUS Martyr, DIODORUM esse Tarsensem ad J. L. MOSHEMIUM p. 656.
- IV. Jo. Georgii ALTMANNI ad locum Act. XVI. 14. de LYDIA Thyatirensi observationes p. 670.
- V. Jo. Georg. MICHAELIS de precibus Cornelii in memoriam Dei adscendentibus ad Act. X: 4. diss. p. 679.
- VI. Jo. Henr. SCHRAMMII & Theodori HASAEI de parabola de operariis in vinea ad Matth. XX: 1-16, cogitationes p. 687.
- VII. Excerpta ex literis Eil. Folc. Harckenrothii ad Theod. HASAEUM p. 707.
- VIII. Nova historico-Theologico-literaria p. 727.
- IX. Jo. Arn. Noltenii epistola ad Th. HASAEUM, in qua de Lexico Aegyptiaco & Armenico V. C. M. LA CROZE differitur p. 744.
- X. J. C. Vischeri Epistola ex Malabaria scripta, in qua de statu Religionis in illis oris differitur p. 754.



בש"א
1.

JACOBI HASAEI

de

עלצל כנבים

ET

עלצל רגלים

ad illustrationem

Jobi XL:31. (vel 26.) & Jesaiae XVIII:1.

Dissertationis,

qua

PHASELVM seu NAVIGIVM

indicari utraque phrasi evincitur,

CAPUT I.

De

Graeca Alexandrinorum versione,

aliisque quae illis adstipulantur.

ARGUMENTUM.

Graeci עלצל utroque in loco per πλοῖον exposue-
runt. Constructio in loco Esaiiae exposita. §. I.

Cl.V. fasc. IV. Oo

(a) Occasionem huic schediasmati, quod ultimum qui-
dem

Alexandrinorum adhaerendum esse in re dubia,
 §. 2. his adstipulantur *Chaldaeus, Arabs*. Quid
 ἰχθυόφορος apud Symmachum? Ellipsis vocum
 πλοῖα, νῆες, naves. §. 3. Elegancia Graecae versionis.
 πλοῖον de parvulo navigio & piscatorio. Chaldaei
 versio notata. §. 4. Symmachi interpretatio exposi-
 ta חֲבֵלֵי reddens ἰχθ. Iud. VII: 13. Deut.
 XXVIII: 42. Graeca versio illustrata. §. 5. re-
 centiores qui חֲבֵלֵי de navi exposuerunt. §. 6.

§. 1.

Propugnabimus hac dissertatione senten-
 tiam haud demum heri atque nudius
 tertius natam verum antiquissimis tem-
 poribus dudum receptissimam: Sed
 qua acerbitate fortunae nescio, recen-

dem fuit, cui insudavit Frater meus, ὁ μακαρίτης,
 at non ultimus politae illius eruditionis, & summi
 ingenii, quo florebat, testis, praebuit observatio exi-
 mii viri I. G. Schelhornii, quae Cl. IV. fasc. III,
 sect. 6. legitur. Promisit hic ibidem §. 2. aliam in
 Esaiæ locum; quam an luce expositurus sit post
 lectam hanc Fratris mei lucubrationem, videbitur.
 Hujus autem editionem prae aliis promovere vo-
 luimus, quo aliqua ratione viam ita sternamus ad
 explicationem descriptionis Leviathanis a Jobo
 exhibitam, quam per omnia ad amissim, convenire
 certae alicui ceti speciei, quae in mari glaciali a pi-
 scatoribus eopse hoc anno capta, & cujus nonnullae
 partes, quas manibus nostris tractavimus, huc Bre-
 man delatae fuere, proxime ostendemus. Cete-
 rum, priora tantum IV. capita hujus exercitationis
 nunc vides, reliqua enim in sequentem fasciculum
 rejicienda fuere. T. d. H.

recentioribus abs interpretibus vili adeo loco habitam, quo, ejus vel commemoratione mentem nauseabundam avertente, oblivione sepulta usque eo eviluerit, ut passim ac propalam sit contemptui. Censemus utraque phrasi **לצל** & **לצל כנפים** cum in Jobi loco XL: 31. tum Esaiæ XVIII: 1. indicari *navigium* & quidem praecipue *phaselum*, eandem cum **לצל** vocem, atque hinc ex oriente in Graeciam Latiumque vetus propagatam. Et sane non sine causa atque rationum ponderibus, quae legitimi partim vocabuli natales, partim genuinae Hermeneutices regulae partim & illustrissimarum versionum fides, adeo copiosa praebent manu, ut mirum dictu sit, qui vix extiterit ullus, cui haec meditari rursariq; placuerit, cum ceteroquin difficillima haec loca vel sexcentis vexare interpretationibus volupe fuerit. Veterrimi enim interpretes *Graeci*, quos *Alexandrina* quondam alebat civitas, haud aliter de his locis atque nosmet ipsi cogitaverunt, utpote quos non altero in loco modo, sed utroque vocem **לצל** per *πλοῖον* *navigium* exposuisse, valde commemorabile est. Apud Jobum Hebraea, verba: **לצל כנפיו** eum transtulerunt in modum: *καὶ ἐν πλοίοις αἰλιέων τὴν κεφαλὴν αὐτῆ* scilicet *ἐκ ἐνέγκωσι* quae verba ex priore hemistichio repetenda sunt: *Et in NAVIBVS piscatorum* (haud adferunt) *caput ejus*, scilicet *Leviathanis*, de quo ibi sermo est. Jesaiæ quoque

verba. **וְהָיָה אֲרָץ לְעַלְיוֹת כְּנָפִים אֲשֶׁר מֵעַבְרָה לְנַהֲרֵי כּוּשׁ**
 interpretati sunt. **οὐαὶ γῆς πλοίων πτε-
 ρυγες ἐπέκεινα πταμῶν Ἀιθιοπίας.** Ita enim in
 plerisque Editt. legitur. Complutensis tamen
 melius pro **πτερυγες** habet **πτερύγων**. Ut sensus
 sit, *Vae terrae NAVIUM alarum, quae est trans
 flumina Aethiopiae.* Quippe ita cum Hebraica
 constructione melius convenit quam deinceps
 excutiemus Cap. V: §. 3. 4. Reddidit Grae-
 caminus bene interpres *Vae terrae navium alis:*
 quasi **πτερύγεσι** dandi casu extaret, cum nomi-
 nandi tantum adsit vel generandi in editioni-
 bus & MScriptis. Si Complutensem sequi-
 mur lectionem, sententiam Graecorum simul
 à contorta explicatione liberabimus quam eis-
 dem adscribit doctissimus in hunc vatem inter-
 pretum p. 514. b. ea de causa quod **εὐαὶ** non
 cohaereat cum **γῆς**, sed cum **πτερυγες**, quia
 particula **εὐαὶ** haud secundum sed vel tertium aut
 primum posuit casum, atque ita quidem expli-
 cat: **οὐαὶ πτερυγες (τῶν) πλοίων (τῆς) γῆς** *Vae
 alis terrae illius &c.* Quippe pari ex ratione
 haud cum **πτερύγων** posset constitui **εὐαὶ**. Ve-
 rum cum principalis sermo hic non sit de *alis*
 sed de *terra*, cui *vae* illud denuntiatur, hinc
εὐαὶ & commode cum **γῆς** connectitur, at-
 que exemplum hic adest & constructionis cum
 casu secundo ejusdem particulae. Nam apud
 eosdem Graecos & rariore est ejus constructio
 cum casu tertio, quae tamen in libris N. T. est
 frequentissima v. Luc. VI: 24. & XI: 46.
 Prae-

Praeterea cum eidem viro summo placeat Graecos nomen *ⲗⲗⲗ* non exposuisse per *πλοῖον*, id tamen reapse ab iis factum esse collatio interpretationis cum pari in Jobo reddit manifestissimum, ubi eadem hujus vocabuli adest expositio: adeo ut *dubia esse* nemini haec possit translatio. Nimirum adeo quidem aliena viro eximio visa est haec translatio, ut eam ne quidem in mentem venire potuisse Graecis crediderit. Et hoc quidem modeste satis, cum alii hanc cachinnis sibilisque exceperint interpretationem.

II. Ego vero multoties his similibusque in rebus miratus sum, qui fiat, cum *Hebraeae* linguae, quanta, quanta olim fuerit, fragmenta hodiernum *unico* in libro, qui sacer V. T. codex est, solummodo residua sint, adeo ut de *πολυσημία* vocum, quae Hebraeis vocabulis magno numero adfuit, aequae ac in aliis esse solet linguis, nobis parumper constet; tamen perpetuo cuidam notioni, quam alibi videmus dari ejusmodi vocabulis, firmiter tantopere adhaeremus; atque si *Graecos* aliter reddidisse videmus, continuo hos, maximos interpretum, erroris inscitiaeque; potius accusatos cupiamus, quam nostram, admodum pauxillam, & quidem ex *unico* superstite volumine haustam *Hebraeae linguae veteris* notitiam praetexere, atque in adyta ejus penetrandi subsidiorum penuriam, lugere. Quis enim sibi persuadeat, illis interpretibus, quibus ante

te bis mille saecula vivendi contigit felicitas, eoque in loco commorandi, ubi *Graecam* literaturam inter *Gentes*, *Hebraeam* vero inter *Judaeos* illic maximo numero degentes, quotidiano usu exercitationeque addiscere poterunt, & addidicisse munus interpretis ostendit; haud propinquius patuisse veteris *Hebraeae* linguae adyta, ac quidem universae recentiorum eruditorum societati. Eopse enim tempore *utraque* lingua etiamnum cum *gentibus* tum *Judaeis* fuit *vernacula*, & communi exercitatione nativae vocum significationes nutriebantur. Contra vero, cum toties appareat hos ipsos interpretes, quod negare nemo auferit, difficillima quaeque loca mirifico illustrasse lumine, sine cujus auxilio frustra desudassemus: quid causae est, quapropter alio loco eosdem, quod forte nobis nunc continuo haud rationes eorum expositionis pateant foras expellere cupiamus, indicta iis saepenumero *negligentiae*, *stultitiaeque* in transferendo culpa? Incumbamus potius in id majori studio, ut rationes veteris lectionis variarumque significationum, quibus voces *utriusque* linguae scatent, nobis apertiores sint atque memoriae propinquiores. Quo facto haud dubium erit, quin eadem S. Codicis loca, quae nunc ob negligentiam graecae versionis, Cimmeriae tenebrae claudunt, aut alienissimarum sub interpretationum gemunt imperio, aliquando in illustrissima luce posita, contempla-

plari queamus. Tametsi igitur mea in causa
 nullae rationes mihi adessent, unde constaret
 לַלְלָא in his locis posse *navem* indicare: ita ta-
 men erga hos interpretes adfectus sum, ut il-
 lis potius adhibere fidem velim, quam recen-
 tioribus ad unum omnibus. Quod eorum,
 aliunde satis in interpretando perispectae fidei
 & eruditioni, haud temerario ausu debeo.
 Meliori enim nos unquam uti posse argumento
 diffiderem, quam quod ab horum *vetustissimo-
 rum* interpretum *autoritate* petitum est. Quan-
 quam plura nobis haud deesse praesidia, qui-
 bus eorum tueamur explicationem his in locis,
 ex iis, quae exposituri sumus, dilucidius con-
 stabit.

III. Commodum igitur hac in re nobis acci-
 dit, qui Graecae versionis concinnitati defen-
 dendae, ex merito operam infumimus, ut &
 aliorum interpretum *veterum ad sensu* nos mu-
 nire possimus, ne soli videamur cum illis sa-
 pere velle. Chaldaeus Paraphraustes Esaiiae
 locum disertissime de *navibus* explicuit, red-
 dens. *Vae terrae ad quam נַבְלָא in NAVI-
 BUS* *advenitur de terra longinqua* &c. Unde
 haud locum modo & sententiam prophetae
 sed & aequae ut Graecos vocem לַלְלָא per *Na-
 ves נַבְלָא* explicuisse apparet. De *umbra*
 enim, quo alii לַלְלָא trahunt, quae per *na-
 ves terrae* incumbunt, nihil in hac expositione,
 utut ab eruditissimo viro eidem Graecisque
 tribuatur, extat vel volae vel vestigii. Citat &
 Graec:

Graecis ἐμὸψηφον interpretem *Arabum* Polus in Criticis. In loco Jobi ignoro interpretem ullum qui Graecorum interpretationi adpositus sit, nisi huc trahas Symmachi expositionem, qui bina vocabula **וַיִּבְרָא** unico reddidit ἰχθυόφορος. Videtur quidem eo vocabulo *retia* intendere, quae captos *pisces ferunt*, quibusque piscatores caput capti *Leviathanis* haud includere censeat; aut *receptaculum* quoddam, quo captos pisces includunt piscatores. Verum & *naves piscatoriae* hac intelligi possunt voce, seu quae *pisces adferunt* ex ipsis substantivi πλοῖα, quemadmodum illud vocabulum in φορητὰ, φορητῶν, ἐφόλκια, ονερariae, ὑπηρετικὰ ἀβυρῶν, ληστρικὰ πειρατικαί, κατὰσκοπα speculatoriae, δίροτα biremes &c. reticetur; uti & vox νῆες in ἐπακτείδες πειρατικαί, ὀλκίδες ονερariae, στρατιωτικαί militares, κατὰφρακτα constratae, aliisque similibus. Sic & *navis* subauditur elliptica locutione in biremis, triremis, quinqueremis, constrata, speculatoria, lusoria, piratica, rostrata, piscatoria, oneraria aliisque infinitis.

IV. Quandoquidem vero, utrisque in locis **וַיִּבְרָא**, si quidem *navis* est ut contendimus, *parvulam* seu *cymbam* quandam indicare, argumento est partim, quod hic *navis* ἀλιέων seu scapha piscatoria, illic vero *papyracea* quaedam, ut ex v. 2. apparet, memoretur, prout postea dilucidius exposituri sumus: Commemoranda merito est Graecorum inter-

pre-

pretum perspicacia, qui Hebraeam vocem
 haud per ναῦν, qua *maiores* indicantur *naves*,
 sed per πλοῖον, qua *minores* vocari solent,
 transtulerunt. Notionem hanc vocis πλοῖα
 nonnullis Cl. Schefferus de Milit. Nav. L. II:
 Cap. II. p. 66. docuit. Sic δ:φθερυνά vel
 δερμάπινα *navigia parva* ex corio confuta, *Lusi-*
tanis & Sabaeis in usu, Straboni sunt πλοῖα
 L. III. p. 155. L. XVI: p. 778. & parvu-
 lae, quibus *Aegyptus* abundabat, scaphae nun-
 quam illi νηὸς sed πλοῖα vel πλοιαρία veniunt
 nomine L. XVII: p. 801. sqq. & alibi.
Cymbulam, quae portitoris erat Charontis
 μοχ πλοῖον adpellat Aristophanes in Ran.
 v. 181. & 184. μοχ πλοιαρίον diminutivo
 v. 139. Suidas ἐπακτροκέλης vocem exponit
 πλοῖον λιηρικόν. Eratautem Epactroceles *par-*
vulum navigium teste Etymologico M. qui per
 πλοῖα βραχέα interpretatur in ἐπακτροκέλης.
 Arrianus in Periplo Maris Erythr. p. 15. Ed.
 Oxon. jungit χεδία δερμαπινὰ ἐξ ἀσκῶν *rates*
pelliceas ex utribus & πλοῖα *minuta navigia* quibus
 ex regione *Cana* thus transferri memorat. Pol-
 lux proinde & inter *minora navigia* σκάφας, μονο-
 ξύλας κ. τ. λ. ponit πλοῖα L. I: Cap. 9. ne breviora il-
 la πλοῖα referam quae inventioni *Samothra-*
cum deberi refert Euseb. L. I: praep. Evang.
 Cap. 10. Praecipue vero observa ad illustra-
 tionem loci apud Jobum, πλοῖον in N. T. mul-
 toties sumi de *cymbula piscatoria*. Luc. V: 2.
 καὶ εἶδε δύο πλοῖα ἐσηκῶτα πρὸς τὴν λίμνην:


ⲟⲓ ⲉⲃⲉ ⲀⲖⲘⲒⲤ ⲁⲓⲡⲃⲁⲛⲡⲉⲥ κ. τ. λ. Confer. ψ. 3, 5, 7. Matth. IV: 21, 22. XIII: 2. Marc. I: 19, 20. & passim. Hanc autem Johannes vocat diminutivo *πλοιάριον* Cap. VI: ψ. 22. uti tamen et *πλοῖον* ψ. 19, 21, 24. Sic & ἄλλοι *πλοῖοι* ἰχθυοβόλῆς sunt *piscatores* Callim. H. in Del. v. 15. Verum uti apud Graecos scriptores, sic & sacros haec observatio haud perpetui est usus, cum & *πλοῖων* nomine *maiores* naves complectantur. Act. XXVII: 2, 6. XXVIII: 11. ubi & Alexandrini Esaiæ II: 16. XXIII: 1. LX: 9. 2. Chron. XX: 26. qui tamen voces *גַּב* & *גַּבִּים* alias, cum de *magnis* navibus sermo, dilucidius per *νῆες* extulerunt. 1. Reg. IX: 26. 27. XXII: 49, 50. X: 11, 22. 2. Chron. IX: 21. & Cap. XX: 36. editionis Complutensis. Saltem hoc ex Graeca versione apparebit, cum *גַּבִּים* *parvulum* indicet *navigium*, consultius fuisse eam voce interpretari huiusmodi, qua similia Graeci appellant, ac quidem Chaldaeo qui vocabulo *גַּבִּים* reddidit, quo *majores* & *tectae* coopertaeque usu veniunt. Vide Buxtorffii Lexicon Talmud. p. 1527. cum tamen v. 2. utatur voce *גַּבִּים* quae exilioris formae *navigium* convenit.

V. Singulare est, cum in loco Esaiæ alii interpretes vel de *cymbalo* vel *umbra* cogitent, Symmachum *גַּבִּים* per *ἦχος* *sonitum* exposuisse, quo sane privi quidpiam secutus esse videtur. Attamen haud obscura quidem adeo

adeo est interpretationis ratio, nec difficile perceptu unde sonitus ille ad ipsius aures pervenerit. Putavit enim vocem ex notione illa radice **לל** descendere, quatenus *tinnire, sonitumque streperum edere* innuit, ut Jerem. XIX: 2. Inde *Cymbalum* ob grandem *tinnitum* nomen **ללל** accepisse Psalm. CL: 5. & 2. Sam. VI: 5. & מצלול 1. Chron. XIII: 8. XV: 16, 19. XVI: 42. viri docti observant. Idcirco Symmachus **לל** *sonitum* seu *sonum* interpretatus est, eodem modo ut Judaei quidam **לל** Jud. VII: 13. per קל הברה *sonum tinnitus* exposuerunt, indicante Coccejo, sed auribus nimium tinnientibus. Nihil ea verborum interpretatione ineptius fingi potuit, cum de pane hordeaceo **לל** *sermo* sit, qui, si diis placet, egregie tinnit. Recte a Graecis exposita phrasis *μαγισ ἄγρυπτος* *coctus vel tostus panis hordeaceus*. *Magis* est a μαγειρεῖω & μαγειρεῖ *coquus*. Radix vocis Hebraeae est **לל** *assare, torrere*, unde & **לל**, quod Deut. XXVIII: 42. juxta Graecorum interpretationem ἐρυθρίβη *rubiginem* innuit, derivandum esse, alibi monuimus.

VI. Ex recentiorum interpretum maxima numero qui Graecis accesserit, neminem novi praeter *Malvendam*, Hispanum, quem rectissime loci mentem cepisse auguror, dum reddidit *Vae terrae alatis CYMBIS refertae*. Etiam *Ludovicum Legionensem* ab eadem haud alienum esse, saltem notionem **לל** de *navi*, propu-

pugnasse in loco Esaiæ ex Celeb. Vitringæ comment. p. 514. b. didici. Verum, si autoritatum numero pugnandum esset, nos inferiores decessuros satis video. Egregium vero factum quo Graecorum interpretum pondus, omnibus, quibus ceteri pugnant, armis, sit fortius & excellentius. Nec tamen opus est quo hoc solo depugnemus.



C A P. II.

Ostenditur חצחצ eandem esse vocem cum חלחל.

ARGUMENTUM.

Attendendum esse ad permutationem litterarum in illustrandis vocibus orientalibus. Unde variae de חצחצ explicationes prognatae. §. 1. חצחצ convenit cum חלחל de permutatione litterarum ח & ח. Tyrus saepe inde dicta Sarra אור. De reliquiis vocis מצרים apud exteros Scriptores in vocibus, μεσσημ, μέσση, μέσση, & μεσσητων. Aegyptus אור dicta unde nomen מצרים. §. 2. Jer. VI. 9. illustratur. חלחל notat quæ fillum vindemiarum. Καρπυλλ. Q est qualus. חל eadem cum priori vox est, indicans Canistrum, & Chald. חלחל & חלחל. §. 3. per חצחצ indicantur naves papyraceae, quæ instar corbis erant breves & ex vimine aequæ contextae. Hinc dicuntur חלחל

כָּלִי κεύη Jes. XVIII: 2. κεφαλαί. Luciano
 lux. & תבֹּת *capsula*. Exod. II: 3. sq. Graeca
 versio illustrata. θίβη vox Aegyptia §. 4.
 כָּלִי est a כָּלִי notatque rem *contextam* qualis
 corbis & naves sunt *papyraceae*. Illae inde *textae*,
consertae, dicuntur, Graecis πλέγματα. Et
 quales ex papyro texebant. §. 5. In loco Jobi &
 חֲלָלִים de *navi papyracea* capitur, quibus *universa*
 Africa abundabat. §. 6. Jes. XVIII: v. 5. illustratus.
 חֲלָלִים non convenit sensu cum חֲלָלִים Je-
 rem. VI: 9. utriusque loci discrepantia.
 חֲלָלִים sunt *omphaeae*. Elegancia graecae ver-
 sionis & sensus loci §. 7.

§. 1.

Nihil magis avertere sensus hominum
 quo in arcana *Orientis* haud facile
 penetrent, didici, quam quod *lit-*
teris quas scriptas reperiunt perpe-
 tuo adhæreant, nec voces *obscuras*
 per *alias* ejusdem soni organique illustratum
 eant. Cum tamen doctissimi Bocharti alio-
 rumque opera multiplicem hujus observatio-
 nis usum inculcent, luculentissimisque usum
 insignem docuerint exemplis, quotidianaque
 exercitatio nos multo in his confirmet magis
 corroboretque. His in locis litterae & mor-
 dicus inhaerent eruditi, nec de alia quapiam
 voce illi affini cum sono tum significatione vel
 per quietem cogitant. Vix reperias igitur
 quempiam, quin radicem חֲלָלִים huic adpli-
 cet

cet vocabulo & vel de *obumbratione* vel de
Cymbalo capiat locum Esaiæ. Pari ratione
 multum sibi dant laboris quoad eandem radi-
 cem notionem *fuscinae*, quam צלצל tribuunt
 apud Jobum, referant, quod fuscina cum
mergatur sit aqua *tecta* & *obumbrata*. Fuitque
 nuper vir doctus, qui notionem *Cymbali* reti-
 nendam esse & Jobum de *instrumento musico*,
 quo *pisces* alliciuntur cogitasse credere nos ju-
 beat in *Bibl. Histor. Phil. Theol. Class. IV. Fasc.*
III. sect. VI. eo nixus argumento *pisces musica*
deliniri & *mulceri*, quod ut nemo negatum
 ibit, ita optaremus ut placuisset viro eximio
 majori robore ipsum τὸ κενόμενον ostendere,
 num צלצל hoc in loco *cymbalum* vel *musicum*
instrumentum denotet, quod, adversus vete-
 rum interpretationem cum pugnet, diluci-
 dius exponi desiderassemus. Bochartus, hic
 de alia vocis ac vulgo solet, meditandum esse
 origine vidit Hieroz. p. II. L. V. Cap. XVI.
 Sed praeter, quam necessitas urgeat, ad *Ara-*
biae confugit angulos, exterarumque implo-
 rat opem gentium. Iis enim צאלת esse
Sigittas, explicante Giggejo, & Golio. Sed
 haec sententia eo nititur praejudicio, quod in
 parte priori hemistichii שכור de *telis* acci-
 piat, adeoque in hac altera parte vocem ei
 similem quaesiverit. Verum simul atque
 priori hemistichio alium longe sensum com-
 modum esse dein Cap. VII: §. 3. sqq. & Cap.
 VIII, ostendemus, & haec simul quaesita lon-
 gius

gius hujus vocis origo, concidet. Nos, ne longiori prologo simus taedio, rem ex alterius vocabuli, quod צלצל litteris ejusdem organi adfines est, expediendam esse cogitamus.

II. In eam itaque cogitationem incidimus vocem סלסול quam Jerem. VI: 9. reperimus cum nostra צלצל & litteris sonoque & cognata expositione conjunctam, tantummodo ab ea orthographia diversaque sententia discrepantem esse. Reperitur quidem illic plurali numero & quidem sequioris generis. Verum nobilioris genus est סלסל plurium numero סלסלים quod ex Chaldaeo apparet paraphraste qui eodem numero exposuit סלסלין. Quae vero major inter voces cognatio potest intercedere ac inter has צלצל Zilzal & סלסל Salsil, quae triplici hoc fundamento tum (α) litterarum, tum (β) rei ipsius, tum (γ) radicis originisque & sensus haud disparis adfinitate, nititur. Quid amabo, frequentius (1) reperies orientalium linguarum usu, ac, cum omnium litterarum sibilantium, tum maxime צ & ס permutationem? Farraginem exemplorum dedit Bochartus Phaleg. L. II: Cap. XXX. p. 146. Ita צרר idem est significatione, adeoque & eadem vox, cum סרר, uti & צר & סר. Hinc יצרון Zidon Graecis et Latinis est Sidon & Σιδων. Inde & צור Zor est Graecis quidem & Latinis Tyrus, sed & his Sarra, unde apud Virgilium SAR-

SARRANUM ostrum, & Tibiae SARRANAE apud Terentium. Eadem de causa BAZOP quae vox Coptis pellem vulpinam indicat & בצר aurum esse à notione vocis בצר qua rubra quaeque indicantur, notari in diff. de Inquinat. Sard. Vestim. §. 10. ubi plura videas exempla coll. §. 11. Pariter cum Aegyptus Hebraeis sit מצרים Mizraim per ז scriptum, in reliquiis tamen ejus vocis apud scriptores exteros scribitur plerumque per Σ quod convenit cum ο elementum. Ita vocatur μέση incolaeque Μεσησαῖοι a Josepho & Μίσηγε a Stephano. Vide Perizonii Orig. Aeg. Cap. I: p. 9, 10. Adde & ipsum nomen μεσηγεμ quod ex מצרים superstes est apud Suidam. μεσηγεμ ait, ἢ Ἀιγυπτῶν, ἢ νῦν μέση ονομάζεται. Vocabulum μέση quo nunc, suo tempore, scribit Aegyptum vocari Suidas est a מצור (Mazor) munimentum quo nomine etiam Aegyptus venit. Vide Bochartum in Phaleg. L. IV: c. 27. quia ab hoc מצור nomen Aegypto datum esse מצרים, non à Mizraim filio Chami, ut censent, erudite observat Celeb. Vitringa Obs. Sacr. L. I: Diff. I. Cap. VI: §. 6. Consule etiam eundem in diff. de notitia Aegypti, quam commentario in Esaiam, ante Capitis XIX. explicationem, insertam habes, §. 3. ubi & de nomine Aegyptiorum Μεσηγαίων apud Syn-cellum agit, in qua voce servata, contra ac in reliquis observavimus durior pronuntiatio טז ז pro TZ, in nomine מצרים, Erit igitur

tur, observata hac commutatione elementorum adfinium, לזלז & לזלז vocabulum idem, uti *Tyrus* & *Sarra*, *Mizraim* & μεστ-
 ρεμ, vel μέσρα & μέστρ cum *Mazor*.

III. Num, ut litteris, ita & (II.) significacione cogitatum est לזלז cum לזלז. Voci לזלז cum sit ἀπαξ λεγομένη tum ex veteri versione, tum cohaerentia orationis, tum & aliis cogiatis vocabulis lumen accendendum est. Graecis exponitur per κάρταλον hoc est corbem, qualum, cophinum, ut ex collatione aliarum discimus vocum quas eodem vocabulo expduerunt. Iisdem enim תני tene, seu corbis in quo fructus conduntur, est κάρταλον Deut. XXVI: 2, 4. quod vocis alias per ἀποθήκων reconditorium expoluerunt Deut. XXVII: 5, 7. Similiter eodem vocabulo κάρταλον reddiderunt כריי quo canistra indicari haud dubium est, uti & κόφινον cophinum Psalm. LXXXI: 7. transtulerunt. Jeremiam autem loqui de ejusmodi quasillo apertum est quia ad vindemiam alludit, jubens colligi reliquias Israël ut vitem, & ut vindemiatorem accedi ad לזלזותו κάρταλον אֹתָם. Est igitur לזלזו heic loci quasillus vindemiatorius (eine Wein-Butte) in quem putator uvas, vel racemos amputatos, conjicit. Convenit vero cum לז & orthographia & significacione. Nam uti in לזלז apparet radicale geminatum; ita breviori pronuntiatione לז eadem vox ejusdem est notionis. Indicat quippe

canistrum, panarium, quod & Chaldaicum
 סל, סלול, סלח & סלחא quibus
 omnibus ejusmodi qualus indicatur. Rectis-
 sime igitur Graeci δὲ reddiderunt per *navē*
corbem, memorandumque hanc vocem vix
 alibi adesse in S. Codice ac ubi de *canistro* seu
panario (Ein Brodt-Korb) agitur. Occurrit
 enim tum in relatione Somnii *Pistaris* regis
 Pharaonis, qui *corbem* repletum *panibus* vidit
 Gen. XL: 16, 17, 18. tum de alic in quo
panes in sacrificium offerendi Exod. XXIX:
 3. tum denique de panario *panum* ἀΐμων Le-
 vit. VIII: 2.

IV. Verum, quid haec, ais, ad *navigia*?
corbemne vindemiatorium seu *quasillum* genus
navis esse perhibes? Imo vero, non *cuidem*
navem puto, sed maximam his *corbibus*, cum
 סלסל seu *navigio vimineo* intercessisse *conve-*
nientiam. Qualem enim propheta *navem*
 indicet per סלסל hoc ex coll. v. 2. appa-
 ret, ubi vocat כלי נמא VASA PAFYRA-
 CEA, seu *naves* aut *cymbulas* potius *papyraceas*
 vel *juncneas* & *scirpeas*, quae *leves* erant *tenuesque*
 & *ex papyro*, qua *universa* abundat *Africa*,
 confectae. Hinc est quod ob *exiguitatem* ea-
 rundem & aliis in his locis *compellentur* vo-
 cibus, ac אני & אניות quibus *alias* *naves*
 solent indicari. Erant enim *tantae* *brevita-*
tis ut vix *binos*, summum *ternos* capere ho-
 mines potuerint. Et quia *ex papyro* & *ope-*
re erant *vimineo* inde earundem *vides* cum
 cor-

corbe & quasillo adfinitatem. Novimus enim & corbes ex vimine conseri, aequae ut has *naviculas papyraceas* ex vimine, junco, calamo & papyro. Et cum adeo tenuia erant brevioraque inde earundem cum corbe praesto satis est convenientia. Quocirca & eleganter easdem *naviculas* Esaias vocat כלי VASA papyracea non *naves* quia potius *vasa* erant, ut *quasillus* est, quam *navigia*. Graeci ἐπιστολας βιβλινὰς reddidere, quia cum iis *nuntii* cito itinere per Nilum mittebantur, unde pariter vocant כלי מלאכים *nuntios* CELERES. Hinc optime Symmachus, Aquila, & Theodotion, triga illa nobilis interpretum, כלי per σκεύη *vasa* reddiderunt. Quod nomen σκεύων πρεπείνων ipsis potius quam *navium* reapse convenire ex loco Exod. II: 3, 5, 7. constat, ubi in simili quapiam Moses expositus in Nilo legitur, quam sane per brevem fuisse oportet. Quapropter & תבה נמא Capsula, arcula vocatur papyracea seu *fiscella* ex vimine vel papyro contexta. Quae vox תבה *Tebha* eadem est cum *Aegyptia* θίβης, seu θίβις aut θίβης (ut variant codd. ob soni τσ' H cum I proximitatem) qua Graecis interpretibus Alexandrinis uti placuit, utpote quae in *Aegypto* satis noti usus erat, quamque & pari sensu apud *Athenaeum* legere viri docti monent, quod inde est, quia & ipse *Athenaeus* fuit *Aegyptius* Naucratis. Scholiastes θίβην exponit recte θίβην πηπίγε *arculam papyraceam*. Jo-

seph. A. Jud. L. II. C. 5. p. 56. vocat, πλέγμα βιβλινον ἐμφέρεις τῆ κατσκευῆ κοιπίδα, unde apparet *lectilio* seu *incunabulis* fuisse simile in quo puellulum posuerunt. Nam & dein iterum *κοιπίδα* appellat, narrans Thermuthida jussisse τὴν κοιπίδα πρὸς αὐτὴν ἐκκομίσαι. Pari ratione & Lucianus cum *navigia* illa *papyracea*, potius *vasis* aliisque utensilibus quam *navibus* fuerint persimilia, vocat ejusmodi instrumentum *papyraceum* quod Aegypto Byblum septem dierum spatio commigrabat, κεφαλὴν βιβλίνην *caput papyraceum* in quod *epistola* immissa in Dial. de Dea Syria T. II: p. 658. Ed. Amst. hoc est *vas* aliquod rotundum simile *capiti* ex *papyro* confectum, quod *quasillo* rotundo haud absimile fuisse oportet.

V. Praeterea & (III) *origine* vocis optime Ⲡⲗⲟⲗⲟ conveniunt cum ⲗⲗⲗⲗ seu *papyraceis naviculis*. Notat ⲗⲟⲗⲟ *rem paratam, contextam, praeparatam*, quae notio aequae *navigio* istiusmodi apta est ac *quasillo*, utrisque ex *vimine* parari & *texi* solitis. Est enim ⲗⲗⲟ quod est *parare, contexere, munire* cum studio, unde de *viis munitis, aggeribus*, χαεῖγμασι &c. usurpatur una cum vocabulis inde descendentibus. Quippe, uti ejusmodi *aggeres* & χαεῖγκες ex *stipitibus, truncis*, & *viminibus* consuebantur: sic & *quasilli navesque papyraceae* ex *vimine, scirpo, junco, papyroque*. Inde Ⲡⲗⲟⲗⲟ esse genus *vestimenti textorii*

Talmudicis ut Buxtorfius observat p. 1484. iisdemque לִשְׁבֹּל esse *complanare, concinnare* & לִשְׁבֹּל *complanationem* docet. Eapropter veteres cum de *harum* navium papyracearum *confectione* faciunt mentionem, haud utuntur verbo *compingere* πῆγνυθαι , ut alias solent, sed talibus quae alias de *textis* rebus & *qualis* atque *canistris* usurpant, *conferere, texere, contexere, ποιῆν, πλέκειν, κατασκευάζειν*. Plinius L. XIII: c. II. PAPHYRUS nascitur in palustribus Aegypti - - ex ipsa navigia TEXUNT & ex libro vela tegetesque. Lucanus L. III: v. 222.

Nondum flumineas Memphis contexere Byblos Noverat - - -

L. IV: v. 130.

Primum cana salix madefacto vimine parvam Texitur in puppim - - -

Et dein v. 136.

Conferitur bibula Memphitis Cymba papyro

Theophrastus L. IV. Hist. Plant. c. IX.

$\text{Καὶ γὰρ πλοῖα ΠΟΙῶΣΙΝ ἐξ αὐτῆς (sc. παπύρου) καὶ ἐν τῆς βίβλου ἰστία τε πλεκουσι καὶ ψίαθες κ. τ. λ.}$

Inde & πλέγματα βιβλίνα passim vocantur haec navigia, ut notat Schefferus L. I: de Milit. Nav. Cap. 4. p. 32. sicuti & παπύρινα πλέγματα . Verum loca non addit. Ita autem Josephus L. II: A. Jud. Cap. 5. p. 56. loquens de *arca papyri* in qua Moses expositus

μηχανῶνται πλέγμα βιβλινον. Et paulo post de Mirriam ὅποι φερόμενον χωρήσει ὄφομένη τὸ πλέγμα. Item de filia Pharaonis. Φερόμενον ὑπὸ τῆ ῥέυματῶ Ἰεσοαμένη τὸ πλέγμα. Adde locum alium, quem mox citabimus.

Neque tantummodo *navigia* ex *papyro* in Africa, sed & *stragulae*, *tegetes*, *vestes*, *funes* &c. docente Plinio cit. loco, atque *calcei* teste Herodoto L. II: p. 116. Tum & *corbes* atque *cophini* ex eadem materia contexebantur. Quapropter *Alexandrinos* Judaeos, qui prope Romam ad portam Camenam frumentum, Alexandrino cataplo defectum, vendebant, *cophino* instructos fuisse ex Juvenali discimus Sat. III: v. 14. & VI: v. 542. Quippe haec Satyrici loca de *Alexandrinis Judaeis* intelligenda esse, optime vidit H. Vossius Var. Obs. Cap. X. p. 148. Praecipue autem hoc ex historia apparet quam de Mose ἀπὲρ ἱερέως γραφῆς refert Josephus L. cit. p. 58. Facturum iter ad Aethiopas ne in via serpentibus infestaretur, narrat quod πλέγματα ἐμφερῆ κιβωτῆς ἐκ βίβλων κατασκευάσας καὶ πληρώσας ἰβέων, ἐκόμιζε *Vasa plexilia non pauca e papyro in arcae formam fecisse, & completa Ibis secum tulisse*, quod *Ibes* serpentibus, sint infestissimi. Haec πλέγματα seu κιβωταὶ, in quibus *ibes* conclusit, quis non cognoscit instar *caveae* & *corbis* fuisse plexa.

VI. In loco vero Jobi aequae ac Esaiæ ἕξ ἕξ perquam commode potest de *papyracea navi* ex.

explicari. Agit enim de *Leviathane*, cujus
caput haec navigia *haud adferre* adstruitur.
Leviathan autem esse *Crocodilum* Bochartus la-
 te docuit F. II. L. V. Hierozoici Cap.
 XVI. sqq. Ilum vero non modo in *Nilo* sed
 & per univ^{er}am *Africam* cum in fluminibus
 tum *maribus* eam adluentibus, conspicuum
 esse, abunde ex innumeris veterum recentio-
 rumque constat documentis. Sic uti *papyro*
 tota *Africa* abundabat & *arundinibus*, ita ae-
 que vix erat in hac orbis terrarum parte vel
 regio fluminis marique adiacens, quin inco-
 lae *navigiis* ut sint *papyraceis* atque *arundineis*,
 quorum usus & totam fere *Indiam* permeavit.
 Obvia passim & proletaria haec est observa-
 tio adeo ut tantum loca consuli oporteat ab
 iis collecta, qui de his *navigiis* magno nume-
 ro commentati sunt, velut praeter interpretes
 ad *Jes. XVIII: 2.* & *Exod. II: 3, 5, 6.* ut
 & ad *Plinii L. VI: IV. N. H. c. 56.* videatur
Salmasius in *Solin. p. 785.* *Bochartus Phaleg.*
L. IV. Cap. II. p. 213. *Schefferus de Milit.*
Nav. L. I: Cap. IV. pag. 32. *Lydius de re*
Mil. L. III: Cap. X. p. 139. & *Doughtejus*
Anal. Saer. Excurf. 147. apud quos de usu
 harum *navium* apud *Aegyptios, Mauros, Ae-*
thiopus, atque *Indos* affatim adest exemplorum,
 quo & locus *Heliodori* pertinet qui de usu
 earundem apud *Aethiopus* agit, a *Celeb. Vi-*
tringa ad *Esaiam p. 519.* annotatus. Prae-
 cipue

eipue tamen *Aegyptios* spectare locum Jobi deinceps Cap. VI; §. 4, 5. disputabimus.

VII. Addimus pauca ἐν παρόδῳ de vocabulo חֲלִילִים *falsalim* quod eodem hoc Capite Esaiæ comparet v. 5. Atque uti cum חֲלִילִים Je-rem, VI: 9. litterarum conjuncta est affinitate: ita & eandem esse vocem conjicit in Lexico Coccejus ad vocem חֲלִילִים. Sed rem probabilem haud reddunt cuæ rationes. Primum quia in loco Jeremia agitur de vindemia & messe autumnali, unde vindemiatori colligenti *uvas* maturas in *quasillum vindemiatorium*, adposita est explicatio περὶ κάρταδον in quem ut *uvas* colligit vindemiator, sic Deus colligi vult reliquias Israël. At in loco Esaiæ agitur de putatione vitium ante messem autumnalem, ut diserte extat. Quippe לפני קציר ANTE MESSEM cum perfecta erit gemma, & flos erit omphacium (בסר lactens) rescindet חֲלִילִים *falcibus*, & sarmenta amovebit, amputabit. Agit igitur ille locus de vindemiatore, hic de putatore. Ille *uvas* amputatas colligit in corbem, non ille *omphaces* per errorem putatas cum sarmentis. Neque tempore vindemiae fit putatio, sed uvarum maturarum collectio. Deinde viro docto adversum fuit quod putaverit Graecos חֲלִילִים interpretatos esse per κληματίδας. Quod aliter tamen se habet, cum voce illa exposuerint sequentem חֲלִילִים *sarmenta*, hanc vero per βοτρυχίαι *parvulas uvas*. Et quidem elegantissime,

sime, quia sermo est de *putatione* vitium ante
messam eoque tempore, quo post פרה *gem-*
mam vitium & נצרה *florem* adest במל
 ⲁⲛⲟⲩⲟⲩ ⲟⲩⲙⲫⲁⲕⲓⲥⲟⲩⲓ flos qui in *omphacem* dege-
nerat, quoque tempore ut *omphacia* mature-
scant fieri solet frondium *putatio* ne solem
impediant. Quoniam vero dum *putator* fal-
ce sarmenta demetit, incautus saepe & haec
omphacia simul amovet. Ita & dicit prophe-
ta, dum *putator* (ita hic reddo ἵ ut saepe de-
bet) sarmenta amovebit, amputabitque, &
simul falces sua demessurum ⲁⲛⲟⲩⲟⲩ ⲟⲩⲙⲫⲁⲕⲓⲥⲟⲩⲓ
omphacia. Qua in re grave latet *judicium*,
 quia omnis periit *vindemia* simul cum *sarmen-*
tis amputatis *omphaciis* lactentibus. Atque
 ita loco elegantissimus adest *sensus*, neque
 opus *Magistrorum* *Judaicorum* *explicatione*
 qui ⲁⲛⲟⲩⲟⲩ teneriores exponunt *palmites*. Cum
 in eo lateat *gravitas* *judicii* ut non modo *palmi-*
tes & *sarmenta*, sed & *omphacia* demetantur. His
 enim *superstitibus* nihil est *causae* cur de
 futura optima *vindemia* colonus
 animam despondeat.

C A P. III.

Observatio de etymo vocis Phaselus,
quam ex hac ipsa פֶּזֶלֶס profluxisse
ostenditur.

ARGUMENTUM.

Phaselus est navis Aegyptia & Aegyptium nomen §. 1. est parvula navis & celerrima quo ipso cum פֶּזֶלֶס seu papyraceis convenit §. 2. Ejusmodi parvulis Phaselis abundasse Aegyptum ostenditur. §. 3. Inquiritur in vocis phaseli etymon. Et primam syllabam pha docetur esse articulum Aegyptium, ut in Pharao, Patumos, Phatures, Pharus, quorum etyma & origines nominum indicantur. Pharus insula fuit praerupta. §. 4. Syllabam sel in Phaselus esse פֶּזֶלֶס ostenditur, vel potius פֶּזֶל. Formale in iisdem vocibus orientalibus saepe simplex est saepe compositum & duplicatum ut exemplis ostenditur. §. 5. locus Es. XXXIII. 21. excussus. Graeca versio LXX. emendata, num pro פֶּזֶל ibi legi possit פֶּזֶל? pro פֶּזֶל Symmachi codex habuit פֶּזֶל. Notat פֶּזֶל navem §. 6. In locis Dan. XI. 20. Es. 23: 13. Psalm 105. 41. Num. 24. 24. Ezech. 30. 9. voces פֶּזֶל, פֶּזֶלֶס & פֶּזֶלֶס haud indicare naves ostenditur. §. 7. In tabula Isiaca apparent ejusmodi phaseli Aegyptiaci. Neque sunt barides ut Pignorio placet. Naves Aegyptiorum thalemeg. Erant phaseli, quibus oppida circumvehebant. Seneca, Strabo, Virgilius & Suetonius illustrati §. 8.

§. I.

Proferamus & alia argumenta quae
 rectiori via demonstratum ibunt
 Graecos **בלז** per *πλοῖον* optime
 exposuisse. Auguror hoc doceri
 posse ex voce PHASELUS seu *φα-
 σήολ* qua *navigium* indicari constat. Ean-
 dem enim ex hac ipsa **בלז** esse progna-
 tam probabimus. Et hoc eo quidem ordine,
 ut nomen *Phaseli* haud *Graecum Latinumve*,
 verum *Aegyptium* esse principio ostendamus,
 dein qui cum *Hebraea* seu *Aegyptia* voce **בלז**
 conveniat, doceamus. *Phaselum* esse genus
 navis apud *Aegyptios* usitatum docent scripto-
 res, qui, *Aegyptiorum* memoriam celebrantes,
 simul eorundem *Phaselorum* injiciunt mentio-
 nem. Virgilius L. IV: Georg. v. 287. sq.

*Nam qua Pellaei gens fortunata CA-
 NOPI*

*Accolit effuso stagnantem flumine NILUM,
 Et vebitur pictis circum sua rura PHA-
 SELIS,*

Canopum Pellaeum seu *Macedonicum* denotare *Ae-
 gyptiam* urbem seu *Aegyptiacum Canopum* alibi
 & simul causa data appellationis vidimus. Tria
 autem haec nomina sunt *Aegyptia* vocesque
Aegyptiae linguae, quae ex affini *Hebraica* pos-
 sunt illustrari. *Canopus* est à **קנפ** *canaph*.
 Conf. §. 2. Cap. V: *Nilus* a **נחל** *nachal* vel
naal,

naal, neil, unde *νεῖλον* & *Nilus*. Sic & *Phaselus*,
 cujus investigandae origini intenti sumus, Ae-
 gyptium est vocabulum. Quippe ut *Canopus*
 & *Nilus* pertinent ad *Aegyptios*, sic & *Phaseli* eo-
 rum *navigia*. Juvenalis Sat. XV: de *Aegy-
 ptiis* loquens v. 126. ut recte vetus monet
 Scholiastes, eodem vocabulo eorum *naves* in-
 dicat, his verbis

*Hac saevit rabie imbellis & inutile vul-
 gus
 Parvula fœtilibus solitum dare vela PHA-
 SELIS*

Et brevibus pictae remis incumbere testae.

Disertius nos veterum Scholia erudiunt *pha-
 selis* uti *Egyptios*. Et Juvenalis quidem Scho-
 liastes *phaselis* exponit *testeis navigiis*. *TALIBUS*
 enim, *NAVIGIIS* in *NILO* utuntur. Servius
 vero: *Phaselis*, ait, *brevibus naviculis quibus utun-
 tur cum stagnaverit NILUS*.

II. Animadvertite vero *Phaselum* non mo-
 do *Aegyptiam* esse *navem*, verum & admodum
parvam, ut partim ex his Scholiastis discimus
 partim ex ipso Juvenale, qui *parvula* earun-
 dem *vela* memorat *brevesque remos*, praeterea-
 que cum Virgilius memorat his *phaselis Ae-
 gyptios circumvectos* esse *rura sua* per fossas qui-
 bus terra abundabat frequentissime; *parvu-
 las* has *naves* fuisse constabit haud absimiles
Belgarum Schuyten & *Venetorum gondolis* qui-
 bus

bus aequae *canaliculos* pernavigant. Quippe
indicare *פזל* ejusmodi *parvula navigia* ex in-
terpretatione veterum antea satis adstruximus
Cap. I. §. 4. & Cap. II: §. 4-6. Atque inde est
quod *phaselus* non modo pro *Aegyptia*, sed, ut
fieri solet, pro unoquoque *navigio minori*
dein accipiatur, quemadmodum inter *navi-*
giola varia ponit Gellius L. X: c. 25. uti &
inter alia ejusmodi quibus *Garumna* trajicitur,
acatia, *rates*, *lintres*, *stlatas*, & *Phaselo* locum
dat Ausonius Epist. XXII: v. 31. sq. Pari-
ter *Phaseli* nomine intellige *Scopham* seu lem-
bum, grandio rem *navem subsequentem* in his
Statii L. III: Sylv.

Quaeque secuturam religent post terga
phaselon,

Tum quia *brevis* adeo erat *Phaselus* epitheto
fragilis ornatur ab Horatio L. III: od. II: v. 29.
quibus cetera addes loca a Joh. Scheffero L. II:
de Mil. Nav. c. I. p. 71 hanc in rem notata. Pa-
riter vero ut nostri *פזלים* commendantur à
celeritate insigni qua fluvios & mare pererrant,
hinc dicti *קלים* *בלאים* nuntii LEVES seu
CELERES *ἀγγελοι κερφοι* El. XVIII: v. 2.
Sic aequae *phaseli* erant celerrimi, Horatii
Scholiastes vetus ad citatum locum monet
Phaselum esse VELOCEM *navem* & longam.
Catullus L. I: carm. IV: v. 1. egregie huc
facit.

PHA-

PHASELUS ille quem videtis bo-
spites,

Ait fuisse navium CELERRIMUS,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire (ob celeritatem) si-
ve palmulis

Opus foret VOLARE, sive linteo.

Volare, metaphora satis nota, naves dicuntur quae *celerrimo* feruntur impetu, ut Cap. V: §. 4-6, pluribus ostendemus.

III. Ejusmodi vero *parvulis navigiis* abundasse *Aegyptum* Africaeque regiones ceteras haud dubium est. Constat non modo ex iis quae antea de *papyraceis arundineisque navigiis* monuimus. Cap. II: §. 4, 6. Sed & ipso *parvulorum* epitheto quod *Aegyptiacis* datur frequenter. Lucanus de *biremi* qua usa *Cleopatra Aegyptiorum* regina L. X: v. 56.

- - Se PARVA *Cleopatra biremi*
Corrupto Custode Phari, laxare catenas
Intulit Emathiis ignaro Caesare tectis,

Unde & non longam *biremem* similem *Aegyptiam* navem vocat L: VIII: v. 562. Illustris locus apud *Strabonem* occurrit L. XVII. p. 801. de *luxuria canopica* agens. Sed ante omnia memorabilis est turba (ἐχλοῖ: nota multitudinem) eorum qui ad festivos conventus per fossam (διὰ δώρυγος) *Alexandria* (*Canopum*) descendunt.

dunt. Nam singulis diebus ac noctibus (πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ πᾶσα νύξ) **PLENA** est ea **NAVICULARUM** (πλοιαρίων) viros ac mulieres vegetantium &c. Ex quibus insignem horum phaselorum multitudinem in Aegypto satis colligas, cum quibus confer quae de similibus lusibus Aegyptiorum in navigiis (ἐν πλοιαρίοις) quas per urbes Aegypti quotannis instituunt, praecipue Bubastum vehentes notavit Herodotus L. II: p. 126. Adi & Hirtium de Bello Alexandrino, ubi saepius mentionem fieri videas parvulorum navigiorum in rebus Aegyptiacis, ut p. 656. Ed. Lugd. Praeterea, ait, nautici homines & urbis & regionis maritimae, quotidianoque usu à pueris exercitati, ad naturale & domesticum bonum refugere cupiebant, & quantum **PARVULIS NAVIGIIS** (agnoscis Phaselos) profecissent, sentiebant. Idem p. 656. refert Alexandrinos majoribus & **MINORES** apertasque naves adjecisse: Dein vero p. 658. de iisdem: **MAGNUM** praeterea **NUMERUM** (en copiam harum navium) **MINORUM NAVIGIORUM** & **SCAPHARUM** producunt &c, Quae cum breves erant adeo naves, & summam iis adfuisse velocitatem docet, p. 654. quo ipso pariter *celerrimos phaselos* de quibus §. 2. egimus, agnoscis.

IV. Igitur Phaselos esse Aegypto proprios vidimus. Quapropter & convenit ut vocem Aegyptiis quondam domesticam ex veteri Aegyptia lingua eruamus. Ordiamur a prima
ejus

ejus Syllaba quae est *Pha*. Haec ipsa indicio
 satis esse potest vocem esse *Aegyptiam* ceteris
 paribus. Est enim *articulus praepositivus* quo
Aegyptii utuntur, quosque exteros populos
 cum ipsis jungere vocibus, probavimus in
 diss. de תוכי"ם §. II. Atque ut ibi eun-
 dem saepius articulum per PI, ΠI, PU, BU,
 BI, PHI &c. efferri monui, sic idem nunc
 ostendamus de PHA quorundam vocabulo-
 rum Aegyptiacorum exemplo. Apparet Ar-
 ticulus in voce *Pharao* quam alias eandem
 censent cum *πίρωμ*, ubi articulus π, qui
 cum *pha* idem est, & vox *ρωμ* fortasse ab He-
 braeo רומ *rum*, *excelsum* esse. Ostendet
 praeterea hunc articuli usum nomen *Pharus*,
 quo insula prope Alexandriam fuit nobilis,
 quae & *Pharos* vocatur a Lucano L. X. Pharf.
 v. 509. & Seneca L. VI. quaest. Nat. c. 26.
 Prima syllaba est articulus, & altera *ros* vel
rus est ab Hebraeo שרר *caput*, quo & pro-
montorium & *rupes* indigitatur. Promontoriis
 enim & *rupibus* gavisa est quondam *Pharos*, un-
 de ejus δύο ακρας *duo PROMONTORIA* cele-
 brat Strabo L. XVII: p. 791. atque ejus
 ἀκρω̄ν *promonteriorum* alterum orientale ait esse
 ΠΕΤΡΑΝ πολύκλυσον ἔχουσαν ΠΥΡΓΟΝ, PETRAM
mari circumdatam habentem TURRIM seu שרר
prominentiam. Ita & SUPERIORES *phari*
 REGIONES (quod ipsum est שרר) ejusque
 MOLES celebrat Hirtius de Bello Alex. p.
 646. Idem Aegyptius articulus se prodit in
 nomi-

nomine urbis *Patumos*, quam Herodotus tribuit Arabiae prope mare rubrum L. II: c. 158. Ea enim urbs ΠάτεμϞ est Hebraeorum פיתום *Pithom* Exod. I: 11. memorata, ut alii dudum observarunt. Quippe Graecis est ἡρώων πόλις *locus Heroum*. Atqui Θῶμ notat Aegyptiis *Heroem* ut & Θῶν vel *Than*, unde Aegyptia nomina *Thanis* & *Thoni*. Eaque propter ἡρώων πόλιν versionem Copticam reddidisse *Pethom* observat Bonjourius in Mon. Copt. Cap. 21. Ut igitur *On* est ἡλιόπολις , sic *thom* ἡρώων πόλις . *Pi*, vero vel *pe*, *pa* praeposita syllaba nil nisi consuetus Aegyptiorum articulus. Neque dubito quin his animadversis lux dari possit terrae *Pathros* in *Aegypto*, quae in sacris nomine eodem פַּתְרוֹס occurrit ejusque incolae vocantur פַּתְרוֹסִים Gen. X: 14. Ezech. XIX: 14. ut $\text{פַּ$ sit articulus, nomenque ipsum תַּרוֹס *taros* vel *thros*. Aequè varie, ut ipse articulus, haec vox scribitur vel φάθωει , vel *Patures* vel *Phatures*. Vide *Celeb. Cellarii Ant. Geogr. L. IV: Cap. I. p. 59.* Atque ita in similibus. Eodem igitur modo, ut olim π in voce πῆμϞ esse hunc peregrinum articulum ostendi cit. diff. §. 11. sq. Sic & exinde exemplum capies quam justè idem in voce *phaselus*, quam esse *Aegyptiam* probavimus, urgeam.

V. Expedita primae Syllabae ratione, ex residuis, demta terminatione *us*, quam Graeci Latiniq̄ue peregrinis addunt vocibus. superest ex *phaselus* media *sel*. Hanc ex hac ipsa

זלזל ortum ducere contendo. Quippe syl-
 laba זל Zil vel Sal, quae hac voce duplicata
 est, alias unice tantum pronuntiata est, ut pro
 זלזל Phazilzal vel Phazilzil dixerint Phazil
 vel Phasel quae est ipsa vox phaselus. Nihil fre-
 quentius est in orientis litteratura, quam ut
 formales litterae vel solae vocem constituent,
 vel duplicentur; adeo ut mirum haud sit זל esse
 idem quod זלזל. Luculentissime hoc ex vo-
 ce זלזל quam antea eandem esse cum hac
 זלזל vidimus Cap. II. constabit. Quippe
 aequè scribi זל salac זלזל falsalibidem §. 3.
 evicimus. Sic ipsa radix זל unde dedu-
 cunt זלזל nobis dat monosyllabum זל quo
 indicatur umbra, uti & Chaldaei pro זלזל ha-
 bent contractiorem unius syllabae radicem
 זל. Vide Buxtorfii lexicon Talm. p. 1916.
 Hebraeis eodem modo est תור tur nomen
 avis. Verum & duplicatur formale saepius
 תורתור tur, tur unde Latina ejus vox turtur,
 quo exemplo nostro זלזל zilzil vel zilzal, vix
 erit similis. Quippe & haec ipsa avis He-
 braeis זלזל vocatur, & Chaldaeis affini no-
 mine זלזל. Eadem discrepantia appa-
 ret ex nominibus urbis tribus Benjamin, quae
 גליל geliloth vocatur Jos. XVIII: 17. pro-
 ductione ex radice גל. At duplicata est ra-
 dix & in גלגל Gilgal quo nomine eadem
 urbs insignitur Jos. XV: 7. Sic & גליל Galil
 est Galilaea passim, quae tamen & duplicata ra-
 dice aequè appellatur גלגל Gilgal Jos. XII:

23. Eandem enim cum גלגל esse regionem ex Alexandrinorum constat versione, neque in ea emendanda critico opus est, ut multis videtur, acumine. Sic res *rotunda* vocatur גול Gol Hebraeis & Phoenicibus, ut vel ex voce *Gaulus* גאול[Ⓞ] constat, de qua deinceps Cap. IV: §. 3, 4. Nihilotamen fecius in aliis vocibus ex eadem radice גלגל natis, quaeque aequae res *rotundas* indicant, eadem bis effertur syllaba, ut documento sunt גלגלת (Gilgoleth) cranium, גלגל Gilgal nomen urbis Jos. V: 9. & regionis ut antea diximus, & גלגל Galgal quae rotam innuit & coeli convexitatem. Et huc pertinent quae de formali קר & קרא pluribus disputavit Celeb. frater meus *Theodorus HASAELIS* in *Bibl. Hist. Theol. Phil. Fasc. III. Cl. III. Sect. VIII.* quod quidem retineri milies, saepius tamen duplicari ut in קרקר *Carcar*, 2. Sam. VI: 14. & קרקר *Karkar* Num. XIV: 17. & Es. XXII: 5. observavit §. 18, 19. Quis igitur non *phaseli* nomen in hoc ipso גלגל agnosceret, amplectereturque Graecam versionem hoc per *πλασιον* exponens vocabulum?

VI. Attamen, cum toties a radice גלגל, quoties *obumbrare* denotat reperiamus vocem גלגל *umbram* ipsis radicalibus unice expressis: mirum mihi visum fuit nos binis his in locis גלגלגל radicalibus *duplicatis* cognoscere, neque unquam in sacro Codice repertum iri גלגל *Zil* de *navi* haud geminatis radicalibus. Haereo tamen numve vocis גלגל apud Prophetam

nostrum vestigia appareant. Placet illis, qui
 lexica condidere Hebraica, זי Zi esse *navem*
 in S. Litteris plurali זים Zim vel זימ Zim.
 Sed nullo hoc adstruere possunt loco praeter-
 quam unico apud Jesaiam Cap. XXXIII: 21,
Neque proficiscetur in ea שׁיט אני *navis triremis.*
Neque transibit illud זי אריר NAVIS *ingens.*
 Hic enim duae sunt partes orationis synony-
 mae, seu duo hemistichia, quae frequentissi-
 me in carminibus vaticiniisque occurrunt He-
 braeorum, habentia ad se invicem mutuum
relationem, cognatamque utroque in commate vo-
 cum *significationem.* Quapropter, ut in priori
 parte ליל proficisci, πορεύεσθαι, ut Graeci de-
 dere, habet εἶσιν ad רבר transire in altera
 parte commatis: Sic & זי ad אני. Quam vo-
 cem ultimam cum nemo dubitet *navem* indi-
 care, simili significatione & זי Zi in poste-
 riori gaudere oportet, unde & rectissime
 Graecos per πλοῖον transtulisse videas. Sed
 locus corruptissimus in Graeco textu hac oc-
 casione est emendandus. Legitur ε' πορεύσθαι
 ταύτην τὴν ὁδὸν εὐδὲ, πορεύσεται πλοῖον ἐλαυνόν
 Quae si ita serves, triplici naevo, quam fru-
 stra Graecis impinges, laboraret expositio,
 partim quod adsit inanis tautologia, partim
 elegantiae textus Hebraei haud respondens
 translatio, partim quod haud verbum detur
 in Hebraicis unde pronomen ταύτης posset
 exsculpi. Corruptissimam igitur vocem ταύτην
 ita restituas ναῦς τεληρης. Nam ex ναῦς pro-
 pter

pter affinitatem litterarum librarius, quod du-
 ctum non assequeretur earundem, fecit ταν,
 eumque τειρησ haud recte legit, condidit την
 syllabam, quam priori jungens, ex duabus
 vocibus unicam fecit ταύτην. Quippe vox
 τειρησ & similes olim per compendium scribe-
 bantur τρησ. Sequentia τὴν ὁδὸν respondent He-
 braeorum ַב in ea sc. navi vel via, ellipsi vo-
 cis ַבב ex eorum interpretatione. Atque
 ita & in Graecis duae partes orationis sibi
 invicem respondebunt. *Non proficiscetur via
 illa navis triremis; Neque transibit navis maxima.*
 πλοῖον ἐλαυνὸν est navis longae extensionis ab
 ἐλαύνω. Eleganter & Aquila exposuit εἰ μὴ
 πορευθῆ ἐν αὐτῇ ναὺς κωπῆς (navis remorum)
 καὶ τριήρης ὑπερμεγέθης εἰ διαβήσεται αὐτὴ, qui
 reddidit per τειρήην triremem. Verum cum
 nullibi probare aliunde possint eruditi ἢ in-
 dicare navem (loca enim quae adferunt cete-
 ra minime de his loqui navibus deinde videbimus)
 & difficilior sum, quo illis heic loci fidem ha-
 beam. Nam hunc Esaiæ locum olim multo
 aliter scriptum dicas, ipsamque hanc vocem
 ἢ aliter lectam ostendit apertissime Symma-
 chi expositio, quae haec est: εἰ μὴ πορευθῆ
 πλοῖον κωπήλατον: εἰ δὲ ἔντολὴ κερταῖς διαπε-
 ραίσει αὐτόν. Unica hic vox est ἐντολὴ man-
 datum quae regulis explicationis sanae con-
 traria est. Quam enim relationem habet
mandatum decretum, ἐντολὴ ad praecedens πλοῖον
navem? Qui ille ex navi magna exsculpsit man-

datum magni κραταις hoc est DEI! Dicam pat-
 cis. Symmachus in libro suo haud nactus
 eam est lectionem יָ quam nostri praeten-
 dunt codices. Verum יָ posito, pro, quae
 vox ἐντολήν praeceptum, & mandatum indicat.
 Vides igitur olim fuisse longiorem litteram,
 in hoc loco. Quod si igitur ex hac littera
 longa feceris longiorem hoc est י in ה, levissi-
 ma mutatione, permutabis, vocem habebis
 הַיִל quae ipsa illa est quam duplicatis radica-
 libus in הַיִלֵּי deprehendis, sed in Phaseli vo-
 cabulo unica syllaba extare probavimus.
 Haec vero הַיִל quin commode navem indica-
 verit, non est cur dubites ex iis quae in hanc
 rem confirmandam produximus. Sed con-
 jecturam proposui, quam nemini obtrusam
 velim.

VII. Illos vero qui urserint vulgatam & le-
 ctionem & significationem תָיִל nescio quibus
 praesidiis illam adstructum iverint, cum in co-
 gnatis orientis litteris nihil pro ejus notione
 navigii reperiatur, neque etiam in ipso S. Codi-
 ce. Produxere quidem viri docti loca in qui-
 bus תָיִל, תָיִלֵּי vel תָיִלֵּי notionem esse na-
 vium putarunt. Sed haec hariolatio unice
 huic Esariae loco, velut fundamento innititur,
 cujus tamen lectionem jam Symmachi aetate
 à vulgari diversam fuisse, ostendi. Praeterea
 in illis locis ubi תָיִל mentionem esse volunt
 de navibus, neutiquam de his agi, verum de re-
 bus longe aliis, miror viros doctos haud ex
 Grae.

Graeca versione, ad quam in dubiis velut ad lapidem Lydium confugiendum esset, didicisse. Loca brevibus stricturis examinemus quae viros eruditos in hanc rem adduxisse, reperimus. Celeb. Perizonius Orig. Babylon. Cap. VI. conjicit ita posse reddi Esaiæ Cap. XXIII: 13. *Assur fundavit eam* (terram ז״צ (Ziim) NAVIBUS, hoc est, ex ea fecisse Navale. Verum Celeb. Vitringa egregiis satis argumentis docuit ad genuinam vocis ז״צ, quae desertum notat, respiciendum esse significationem, & reddendum locum. *Assur fundavit eam* DESERTICOLIS, quoniam tum terra illa Babylonica deserta erat. Sic & ad ἐρημωσεν respexere in versione sua Graeci. Alium locum Psalm. 105: 41. in Concordantiis Buxtorfius, sed ut *dubium*, ipse cruce notat. Putavit enim נהר צ״צ esse *naves fluvii*; verum hic indicantur ποταμοὶ ἀνοδοὶ fluvii exsiccati siccitate, ut eleganter iterum Graeci observarunt. Simulatque enim DEUS rupem percussit, (nota Historia quo alluditur Exod. XVII: 6. Num. XX: 11.) manu Moïsis, tum fluvii seu valles (utrumque enim נהר denotat) siccitate aridi aqua repleti sunt, nequaquam vero *naves fluvii*. Idem vir indoctus & alia duo producit loca Num. XXIV: 24. & Ezech. XXX: 9. Prior ita se habet ז״צ מ״ר נהר״ם ubi ז״צ perperam jungunt cum נהר״ם intelligentes *naves Chittaeorum*. Quid enim hoc & NAVES ex manibus CHITTAEORUM & perdent ASSUR?

Est vero **וְצִי** heic loci a **וְצִי** egredi notatque eos, qui e populis Chittaeorum egredientur, perdituros *Assur & Eber*. Sic & Graeci *ἐξελύσεται ἐκ χειρῶν Κιπταίων*, κ. τ. λ. ἐκ χειρῶν ἐ *manibus* hoc est ex potentia, multitudine Cittiaeorum. Eadem ratio est loci apud Dan. XI: 30. quem Coccejus in lexico animadvertit ubi **וְצִי** **וְצִי** sunt qui ex terra Chittaeorum egrediuntur, *οἱ ἐκπορευόμενοι Κίπτοι*, ut adposite Alexandrini, quosque vaticinatur *ingressuros* terram *Australem* de qua v. 29. Nihil est liquidius. Locus Ezechielis difficilior est qua DEUS vaticinatur: *à facie ipsius illo die egressuros* **וְצִי** **וְצִי** nuntios **וְצִי** quod reddunt in *navibus*, ad perdendos *Cuschitas*. Graecae versionis vulgatae editiones corruptae sunt. Complutensis habet textum integrum, pro **וְצִי** legens ἐν Σείμ, adeoque sciverunt optimi interpretum privum hic usum esse hujus vocis, quam cives Alexandrini exposuerunt ipsa illa, in Aegypto satis nota voce servata σείμ. Ridiculum enim, cum voces Hebraeas saepius servant Alexandrini, neque Graecis reddunt, viros doctos asserere, eos ita transtulisse ob ignorantiam quid significarent. Retinuerunt illi eas voces quas tum temporis in Aegypto tritissimi omnium usus esse sciebant, quae a nobis nunc magno studio emendae. Ita hic commodum accidit, quod Scholiastes notaverit seu Theodotion *τὸ Σείμ τῆ ἐλαδί Φωνῆ ἐν ἰαχῶι*. Indicare Grae-

ca lingua in potentia, viribus. Inde vero elegans
 satis loci sensus apparet, ex Aegypto egressuros a
 facie Dei die illa nuntios (seu milites) in potentia
 seu fortitudine, hoc est ex Hebraismo, potentes,
 nuntios fortes, magnanimos, ad devastandam ter-
 ram Cuschaeorum. Igitur frustra in his locis
 praesidium notionis ꝛ pro navigio quaeritur.
 Num ergo in unico illo Esaiæ integra lectio
 sit servata, qui jam olim in mendo cubavit,
 alii judicent, & quid nostrae conjecturae de
 ꝛ seu phaselo tribuendum sit, quam ipsam
 esse Aegyptiam vocem & navem indicare con-
 speximus, dispiciant.

VIII. Quicquid sit, in Tabula mensae Isiacae,
 quam L. Pignorius post Kircherum exposuit,
 conspicimus aliquot lembos Aegyptiacos qui-
 bus bos seu Osiris vehitur. Haec navigia Pi-
 gnorio placet esse Barides p. 71. At cum Ba-
 ris sit Aegyptiis ejusmodi navigii genus, quo
 cadavera hominum ad sepulchra devehuntur
 docente Herodoto L. II: cap. 96. nihilque ho-
 rum hic simile conspiciatur, potius has naves
 Phaselos Aegyptios esse censemus, quam Ba-
 rides. Baridis enim formam habes apud eun-
 dem Pignorium in gemma, quam idem aeri in-
 sculptam exhibet p. 52. ubi in navicula con-
 spicias jacentem hominem mortuum, quem ego
 Aegyptium hominem esse censeo, haud vero
 Orum Deum, ut Pignorio placet. Neque
 enim perpetuo in exponendis monumentis
 Aegyptiacis ad Deos eorum recurrendum est,

quasi nihil illi praeter Deos & sacra sculps-
erint. Adde quod & *breves remos*, quibus in-
cumbere Aegyptios *pictae testae* Juvenalis com-
memorat Sat. XV: v. 128. hic in manibus *Isi-
dis & Osiridis*, qui navis sunt *portitores*, clarissi-
me adspicias, num. 17. 18. Adde quod haec
navis sit *Θαλαμηγός Thalamegus* conspicua in hoc
mensae *Isiacae* limbo, utpote quae *bovem* ve-
hit. Quippe *Thalamego* ejusmodi vehebant
Apin per Nilum *Memphinusque Sacrorum* cau-
sa tradente Siculo Diodoro L. I: p. 53. sq. At-
qui *thalamegos* esse *Phaselos* apparet ex illis
Plauti Rud. A. IV. sc. II. v. 27. ubi Gryphus
piscator ait loquens magnifice

- - Navem faciam, atque imitabor Strato-
nicum,

Oppida circumveddabor - - -

Collatis cum his Virgilio qui de Aegyptiis tra-
dit quod *sua rura circumvehantur phaselis*. Stra-
tonicus autem qui *navi phaselo* est *circumveddus*
oppida, fuit sub Alexandro M. & Philippo patre
dives quaestor. Graeci autem in luxu maxi-
me Aegyptios imitabantur. Nam *Phaseli* illi,
ut describit Virgilius, erant iidem, quos Se-
neca vocat L. VII: de Beneficiis Cap. 20.
Naves Lusorias & cubicularias, quae dicit fuisse
ladibria REGVM in mari lascivientium. Nam
lusus causa iis *oppida & rura* vehebant circum, ut
de Aegyptiis indicat Poëta, & ex his Strabo-
nis

nis dilucide satis discimus L. XVII: p. 800. referentis Schedias, qui locus ab *Alexandria* distat quatuor schoenis, pagum esse urbi similem habentem navale τῶν θαλαμηγῶν πλοίων *Thalamiferorum navigiorum* quibus οἱ ἡγεμόνες **PRINCIPES** viri in *superiorem* (*Aegypti*) *navigant regionem*. Attende quod his *thalamegis* utantur ἡγεμόνες *Principes*, quemadmodum *Seneca lusorias*, ut appellat, dicit esse *ludibria REGVM*. Quippe & *principes* viri divitesque & *reges* in *Aegypto* iis utebantur excellentioribus. *Suetonius Caes. Cap. 52. Dilexit Reginas* (*C. J. Caesar*) *Sed maxime Cleopatram* (*Aegypti reginam*) cum qua & *convivia in primam lucem* saepe protraxit, & eadem **NAVE THALAMEGO** pene *Aethiopia* tenus *Aegyptum* penetravit. Unde illa *Strabonis* illustrantur dum ait *principes Aegyptiorum navibus Thalamiferis* εἰς τὴν ἄνω χώραν *in superiorem navigare regionem*, hoc est *Aegyptum superiorem*, seu ut *Suetonius*, *Aegyptum Aethiopiam tenus*. Tanta autem in *Aegypto* *naves thalamegi* aderant copia ut *reges eorum* vel *octingentas* habuisse paratas auctor sit *Appianus* in *Prooemio Casaubono* observante. Unde pariter ac & collatione locorum *Plauti* & *Virgilii* illas *Thalamegos* fuisse **Phaselos Aegyptiorum** contabit.

Tamet si **לצל** retineat notionem CYMBALI, posse nihilominus, & capi de NAVIGIO.

ARGUMENTUM.

Viri docti urgent in **לצל** notionem ad finem *cymbalo*. Potuit idem *navigio* datum esse quod *rotundum* fuerit uti *cymbalum*. *Papyracea navigia rotunda*. §. 1. Docetur nominibus iisdem *gavisa esse & navigia veterum & varia instrumenta*. §. 2. *Gaulus* **גאול** esse nomen *Phoeniciae navis & dari vel quatuor generibus vasorum adstruitur*. §. 3. Quae adepta sunt nomina quia & *naves & vasa haec fuere rotunda a radice לל, unde & varia alia nomina *rotundarum rerum ab Hebraeis appellata vocibus cognatis*. §. 4. *Instrumentorum musicorum nomina & aliis concessa vasis, vel לבל, שפרות, Cymbala, aliaque*. §. 5. respondeatur objectioni §. 6.*

§. I.

AUguramur vero nonnullos, quibus praejudicatis adhaerere mos est opinionibus, nobis difficulter accessuros, nisi simul, quam **לצל** seu *cymbalum* habere cum *navigio* cognationem possit, indicaverimus. Sunt enim qui principem τὴν **לצל** notionem esse *cymbali*

li contendunt, nec aliam in locis, ubi idem apparet vocabulum, nisi *cognatam* videant sententiam expositam, sine nota dimittent explicationem. Praecipue id urfit vir doctissimus J. G. Schelhornius in Bibl. Histor. Phil. Theol. Cl. IV. Sect. VI: Fasc. III: §. 3. cui alia ac *cymbalo affinis* notio in his ipsis locis Esaiæ & Jobi, valde displicet. Concedamus igitur idipsum viro erudito, sed simul ea conditione ut et nobis largiatur *navigio* idem esse posse nomen ac *cymbalo*, ob *formae*, quae olim *navigiis* intercessit cum *cymbalo*, cognationem. Nam veterum naves fuere olim *rotundae*, atque ejusmodi Schemate & *papyraceas* fuisse ostendit locus Luciani de Dea Syria T. II. p. 658. ubi *papyraceum* vas per mare Byblum missum ex Aegypto à *rotunda* forma adpellat κεφαλήν *caput*, uti Hebraeis כִּבְיָא est *caput cranium* a כִּבְיָ *rotundum* esse. Ita & vocem θίβιν, quam Scholiastes ad Exod. II: 3. explicat per *κιβωτὸν πηπέρας* *arculam papyraceam*, denotare *ὕδρῳαν* *urceum* monet, quam dubio procul significationem nacta est *ιδεία* a pari cum his *navigiis* formae *rotunditate*. Sic & γαῦλον esse *navem rotundam* apud Phoenicios §. 3, 4. videbimus.

II. Verum haec haud usque adeo urgemus, siquidem alia via pateat, qua his occurramus. Quippe, si כִּבְיָ *cymbalum* est, nihil aliud denotat nisi *instrumentum* quodpiam quo homines *lusu* gratia delectantur. Nullam vero linguam

quam credo, orbi terrarum illuxisse, quin simul dives fuerit ejusmodi nominibus, quae simul *vasis* variis seu *instrumentis* data sint, atque *navigiis*. Antequam enim robur illud triplex hominibus circapectus fuit, quo fragilem truci pelago ratem, ut ait ille, commiserint, varia *utensilia* in usu fuere, quorum ob *formae* similitudinem nomina tum *navigiis* repertis indita sunt. Meminerimus *cymbam*, (quae aequae ut *cymbalum* a *cavitate*, Graecis $\kappa\upsilon\mu\beta\omicron$, dicta, nomen accepit) non tantum genus esse *navigii* sed & *potuli*; $\kappa\upsilon\mu\beta\omicron$ est *acetabulum* & *scutella*. Est tamen & *navis* genus $\kappa\upsilon\mu\beta\eta$ & $\kappa\upsilon\mu\beta\omicron\upsilon\nu$ quemadmodum & *vasis* *potatorii*. Talmudicis ארבא est *navis*, *scapha*. ארבא vero & ארבא *mastra* seu *instrumentum*, in quo farina depstritur. Voces $\sigma\alpha\phi\eta$, $\sigma\alpha\phi\iota\omicron\nu$, $\sigma\alpha\phi\iota\delta\iota\omicron\nu$, & $\sigma\alpha\phi\omicron$ Graecis denotare *navigia* novimus. At & varia *vasa* *utensilium* iisdem indicari vocibus Graeca veterum Lexica erudient. Confer & Schol. Aristoph. ad *Aves* v. 599, Ita $\sigma\alpha\phi\iota\delta\epsilon\varsigma$ de *Vasis* apud Homerum *Odyss.* X: v. 222. & *protali* in quo *mel* reconditur apud Theocritum *Idyll.* V: v. 59. ubi Scholiastes. $\Sigma\alpha\phi\iota\delta\epsilon\varsigma$ $\alpha\gamma\gamma\epsilon\iota\alpha$ $\epsilon\iota\varsigma$ α $\kappa\alpha\tau\epsilon\pi\iota\theta\epsilon\upsilon\alpha\nu$ $\tau\iota\varsigma$ $\mu\epsilon\lambda\iota\kappa\eta\epsilon\iota\delta\alpha\varsigma$. Inde & ad Latinos *Scaphae*, *Scaphes* & *Scaphii* utraeque notiones descenderunt. Latinis *linter* est *alveolus* (ein *Frog*) sed pariter & *navigium* saepissime eodem vocabulo indicatur. Vide *Ausonium* *Ep.* XXII: v. 32. Nec minus al .

alvei nomine *vas* ligneum concavum ianuunt Romani. Verum & saepe pro *nave* occurrit. Consule Schefferum de Milit. Nav. L. I: Cap. 3. Aequè diminutivum *alveolus* (eine Mulde) usurpatur de *navigio* apud Juvenalem Sat. V. v. 89.

III. Negabis vero hanc apud *Eoi* orbis populos fuisse loquendi rationem ut nomina *navigiis* simul atque variis *instrumentis* fuerint communia? Id ne fiat, unico illustremus exemplo, ne in re nota satis atque obvia passim, iusto simus verbosiores, *Phoeniciam* (b) vocem γαῦλος *Gaulus*, & *navis* nomen esse *Phoeniciorum*, & variorum *vasorum*, juvabit observasse. Idque ob rotundae convenientiam formae. Eustathius ad *Odyss.* X. v. 222. triplicem ejus vocis dat expositionem, & quidem sumi (α) pro σκεύεσι ποιμενικοῖς εἰς τὸ ἀμείλιχον χηρσίμοις hoc est pro *vase pastoritio in quo mulgent* seu pro *mulctrali ein Milchfubel* (β) Dein esse εἶδος πλοῖος genus *NAVIS*, & (γ) Ἀντλίαν *antliam*. Idem docet Scholiastes *Aristophanis* ad *Aves* v. 599. & quidem (1) esse φοινικικὸν σκάφος *scapham Phoeniciam* citans *Callimachum*, qui ΣΙΑΩΝΙΟΥ γαῦλος meminit, quod fragmentum in *Spanhemii* collectione fragmentorum *Callimachi* n. 40. & *Bentleji*

(b) Vocem hanc e *Phoenice* petendam docent *Hesychius*, *Suidas*, *Scholiastes Aristophanis*, *Callimachus*, *Epicharmus* apud *Athenaeum*. T. d. H.

leji n. 207. hinc depromptum reperies.
Tum (2) esse ἀγγεῖον *vas* quoddam. Alius
Scholiastes ibidem loci idem tradit esse par-
tim πλοῖον φορηκὸν partim σκεῦϛ. Hesy-
chius quoque, Γαῦλοι, inquit, τὰ ποιμενικά τῆ
γάλακτϛ ἀγγεῖα καὶ τὰ φοινικικά πλοῖα. Ad-
do *quartam* (c) vocis γαύλα expositionem de χύ-
τρα οἴα quam idem observat Lexicographus,
quemadmodum & compositam vocem χυ-
τρόγαυλον de *labro* occurrere apud Josephum
viri docti monuerunt. Indicare igitur hanc
orien-

(c) Imo duas alias hic addo pariter à *cavitate* de-
promptas; Videlicet *paculi* quoque notionem
habet apud Plautum, qui in Rudente V. II.
v. 32. inter potatoria vasa, cyathum & cantha-
rum medio loco collocat Gaulum. Praeterea
sinus, epichysis, cantharus, GAULLUS, cyathusque,
ut & apud Antiphanem in Chryside, cuius ver-
ba citat Athenaeus L. XI. p. m. 500. Adde de-
nique & *vasis vinarii*, seu dolii; Id me docent
Glossae veteres, quas Salmasius in notis ad Jul.
Capitol. Maximinos p. m. 53. adduxit; *Cupa* seu
vagna, βεττις (nota vocem Germanis quoque
adhuc usitatam Butte/ Wein; Butte/ i. e. vas
ligneam, quo uvae colligentes in vindemiis utun-
tur) μεγάλη, ἢν πνεϛ ΓΑΥΛΟΝ καλεσιν;
& rursus. *Vagna* seu *cupa* (haec quoque vox
Germanica eine Rufe adhuc superest) βεττις με-
γάλη, ἢν πνεϛ ΓΑΥΛΟΝ καλεσιν. Id quoque
confirmat Suidas; Γαυλος, ὀινηρον ἀγγεῖον, ἐκ ξυ-
λων κατέσκευασμενον, ἢν Ἰταλοι μαγγα-
νον

orientis vocem vides non modo *navem*, sed
 vel tria (vel potius *quinque*) genera *vasculo-*
rum. Inde Pollucem cernas tam inter *vasa*
rustica lactis & caseorum memorare γαύλας L.
 I: §. 251. & L. X: §. 130. quam, de *nauti-*
cis agentem rebus, γαύλας inter *navigiorum*
 ponere nomina L. I: §. 82. (d) Praecipue
 Cl. V. Fasc. IV. Rr vero,

ναυ ὀνομαζουσι. *Gaulus vas vinarium ex lignis*
compositum, quod Itali vocant Manganam, & in
voce μαγγανα; Μαγγαναν οἱ Ἴταλοι ὀνομα-
ζουσι, ὃ ἐστὶ ΓΑΥΛΟΣ. T. d. H.

(d) Illius autem significationis vestigia apud alios quo-
 que populos relicta sunt. Hinc γαλία, quam
 ut γαυλον, inter πλοια λησεικα numerat Ety-
 mologus, in κεληπζει, Επακτοκελης, (lege
 Επακτροκελης) εἰδῶ πλοια λησεικα ὃ ἐστὶ
 ΓΑΛΙΑ. Cedrenus vocat γαλειας. Leo in Ta-
 Eticis γαλειας. Anna Comnena γαλαιας, quas
 qui à Galeis, navis olim malo impositis de-
 rivant, paene mihi ineptire videntur. Vi-
 des autem in his vocibus Germanorum no-
 strorum Galeere, Belgarum & Anglorum Galee,
 Italarum, Gallorum & Hispanorum Galere S.
 Galera. Huc spectant Galeasse, Galeott, galei-
 da, Galeones, Γαλλιατζα, Galliazza, γαλιωτης
 quae omnia navium nomina sunt, quae in scri-
 ptoribus medii aevi occurrunt saepe, de quibus
Du Cangium in Gloss. Latinitatis & Graecitatis
 mediae consule. Hinc ΚΕΛΗΣ, navigii genus
 κηφωταπον, ut Etymologici autor docet, inde
 ΚΕΛΗΤΙΟΝ, μικρον πλοιαειον, ὑπο ἐν
 εἰρη

vero, cum *vasis* notionem obtinet, de *multrali* veteres usurpasse legimus, unde & σκαφίδες junguntur in memoratis apud Pollucem locis, uti & apud Homerum, quem Scholiastes Aristophanis citat, Odyss. X: v. 222.

- - Γαυλοί τε σκαφίδες τε

atque Theocritum Idyll. V: v. v. 58.

Σπίσω δ' ὀκτώ μιν ΓΑΥΛΩΣ τῷ Πάνι ΓΑ-
ΛΑΚΤΟΣ

Ὀκτώ δὲ ΣΚΑΦΙΔΑΣ μέλιτ' ἔχουσαι πλοῖα κῆρα

ubi ut σκαφίδες μέλιτ' sunt *vasa mellis* conditoria, sic γαῦλοι γάλακτ' *multralia*. Scholiastes Γαυλοὶ ἀγγεῖα χυτροειδῆ (unde nota qui & ipsa χύτρα dicta sit γαῦλ') γαλακτοδόχα ἐν οἷς πῆσσαι τὸ γάλα - - ἀπνα καὶ ἀμολγέας καλεῖται h. e. *Gauli sunt vasa quae urcei formam habent, recipientia lac, quod in illis agitant, quae ἀμολγέας seu multralia adpellant.*

IV. Atqui hoc quidem nomen *Gaulorum* tum *vasis* tum *navibus* Phoeniciorum propter *rotunditatem* singulis adhaesisse scias. Phoeniciam

ἑρετρομενόν, & inde Latinorum *CELOX*, S, quod passim fit, mutato in x. Uti enim κέλης quae vox *equum* quoque significat, cum ejusdem significatus Germanica voce Gaul convenit, ita & κέλης, parva navis ejusdem notiois verbo γαυλῶ affine est. Et apud Belgas & Saxones meos non aliud est, parvum navigii genus, quod vocant five *Jolle Gelle*, *JELLE*, i. e. parva *cymbula*. T. d. H.

ciam quippe vocem propriis reddidit natalibus felicissimus rerum Phoeniciarum ruspator Bochartus, ostendens esse nomen גול *Gol a גול rotundum esse* L. II: Can. Cap. XI. Sic *mulcralia* ut nunc ita & olim fuere rotunda, unde Scholiasten Theocriti ea fuisse *χυτροειδῆ* formam *urcei* seu *olla* habentes monuisse vidimus. Uti & *χύτροι*, ipsae *rotundae*, hinc *γαύλων* nomen habent; velut & *antlia* atque alia vasa quae *γαύλας* vocari observavimus. Praecipue vero *Phoenicum* naves *rotundae* hoc insignitae vocabulo. Festus: GAULUS *genus NAVIGII pene ROTUNDUM*. Sed hac de re alibi pluribus. Aequè vero inde, quod *rotunda* esset, adeptam esse nomen *Gauli* insulam prope Meliten in mediterraneo mari, docuit idem vir summus L. I. Can. Cap. 26. p. 504. Eapropter Ⲅ *vas olei* vocatur גול Zachar. IV: 2, 3. quod *orbiculata* fuerit figura, ut tali in nummo veterum Hebraeorum apparet apud Relandum in Nummorum Samaritanorum eotypis Tab. IX: n. 10. Item *rotundae* extremitates in coronis hinc dicuntur גולות 2. Chron. IV: 14. similique modo *caput & cranium* hinc Hebraeis est גולגולת & *rota* גולגולת itemque *coeli convexitas* Psalm. LXXVII: 19. & גולגולת *volumen* atque גולגולת *circulus*, plurimaeque alia nomina quibus brevitate studio recensendis supersedemus. Constat inde quantum tribuendum sit nugivendulis Graeculis qui *Phoeniciam* vocem *Graecae* illustratum

eunt litteraturae ope. Veluti cum Eustathius & Theocriti Scholiaſtes locis memoratis, vocem a γάλα lac deducunt pleonaſmo τῷ γ, quod γαῦλ nonnunquam & mulctrale ſit. Egregium εὐρημα vel centum bouum dignum maſtatione. Elegantior, ſi diſ placet, eſt autor Magni Etymologici, (e) qui a γυαλός deduce-

(e) Adſcribam ipſa Etymologici verba, quod ad ea, quae de hoc voce dicta ſunt, non parum illuſtrent, confirmentque Γαυλός, ποιμενικόν ἀγγεῖον ἢ καδός, εἰς ὃ τὸ γάλα δεχόνται, παρὰ τὸ γὰρ τὸ χυρῶ γίνεται γαζῶ, γαλός, καὶ γαυλός, καὶ οὐ πάντως δεῖ παρὰ τὸ γάλα λαμβάνειν. λέγεται δὲ καὶ τριηκῆς γαυλός, διὰ τὸ πλεῖστα δεχεσθαι, ὡς φησὶν Ἡρόδοτος ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἰσθμίων. Ἐστὶ δὲ εἶδος πλοῖου ληστικῆς, ἢ πῆς καὶ Λιβυρῶν καλεῖται, ἢ γυαλός πῆς ὦν, τέτρετι κοιλός. λέγεται δ' ἀντλητήριον π. Non tamen haec derivatio tam ridicula, ut viſa eſt Fratri meo. Puto enim primam huius vocis radicem eſſe ἕπι, chol cavus, quod ut idem eſt & ſono & ſignificatione cum Germanico hol; ita & cum Graecorum κοίλος, & γυαλός, vacuus, cavus, unde γυαλή, roculum, hinc etiam ἕπι, quatenus rotunditatis notionem habet quia rotunda vaſa ſunt cava. Inde πῆς in loco Zach. IV: 2, 3. eſt lecythus, phiala, lenticula; & convenit ſono pariter & notionem cum noſtro Schale/ praefixo tamen S, quod innumeris Germanorum vocibus accedit, quarum origines ex aliis, praecipue Orientalibus linguis petendae ſunt. Nemini autem haec abſona videri poſſunt, niſi qui ignorat literas π & γ & κ, quarum eadem fere pronuntiatio eſt, permutari frequen-

re videtur, quod *καύλα* sit, navis *κοίλη* *conca-
va*: Novum Zenodoti cor, & Cratetis je-
cur! Phoeniciam vocem Graecis dare origi-
nibus. Sed hic mos est Graeculorum, satis
quidem ridiculus.

V. Esto igitur *לצל* instrumentum musicum,
& cymbalum quidem, quod nominis, quotiens
ejusmodi instrumenti loco ponitur a *לצל* vel à *לצל*
tinnire ob grandem tinnientis aeris sonitum ac-
cepisse videtur, unde *לצל* turturi nomen
est apud Magistros Judaeorum & *לצל* preca-
tioni a *לצל* precari, orare. Sit, inquam, & his
locis *לצל* ad finis notio Cymbalo: Nihil o-
secius & ad navigium seu quodpiam utensile com-
migrare potuit, quod videamus saepissime in-
strumentorum Musicorum (antea enim de aliis mo-
do vasculis disputavimus) aliis vasis data aequè
esse nomina. Idem voci *לצל* accidit, quae
quidem in Oriente notat *nablium* seu *Psalterium*:
Attamen & *ἀγγεῖον* in quod vinum effunditur,
& *ἀσπεδὸν* utrem, follem. Vide 1. Sam. X: 3. Je-
rem. XIII: 12. Thren. IV: 2. & Graecam ibi
tralationem. Quam in rem & hoc notare li-
ceat, cum quondam ex *utribus* varii populi
naves paraverint, inde & *ἀσπεδὸν* utres dici hu-
jusmodi *navigia*. Adi cl. Schefferi addenda

Rr 3 ad

quentissime. Ita in hac voce quoque confirmari vi-
des, quod observatione peculiari mox docebo
pluribus, a radice quadam linguae Ebraeae *קב* pri-
ma, quae *cavitatem* notat, & utensilium, & navium,
& poculorum, quod cava sunt, etymologias innume-
ras accersendas esse T. d. H.

ad Librum de Mil. Nav. p. 317. Arrianus autem
 Periplo maris Erythr. p. 15. appellat *αεδίας*
δερματινας ἐξ ἀσκῶν rates pelliceas ex utribus con-
fectas. Scimus, ut ad alias voces transeamus,
 פרוש Hebraeis esse *buccinas* Psalm. XCVIII:
 6. Exod. XIX: 16. Jerem. IV: 5. Verum &
 tredecim *nummorum receptacula* in templo Hie-
 rosolymitano quondam posita, eodem desi-
 gnata esse, ob propinquam cum buccinis for-
 mam, docuit eruditissimus Relandus Diff. V.
 de Num. Samar. p. 220. sqq. & in Libro de
 Spoliis templi Hierosol. p. 125. sqq. Nec minus
 idem vocabulo *κμβάλς Cymbali* adhaesit,
 quod pariter datum esse *vasis fictilibus* (*κερα-*
μείοις) quae *cavitate pollebant insigni*, imo &
 datum esse *galearum apicibus* docuit Celeberri-
 mus Frid. Ad. Lampe, nunc Trajectinae Aca-
 demiae, olim civitatis nostrae, *insigne de-*
cus L. I. de Cymbal. Vet. Cap. 2. ne ea com-
 memorem, quae idem in egregiis de *κοτύλαις,*
κράμοσι, *acetabulis* aliisque vocibus observat,
 quibus & *Cymbala instrumentaque Musica* insi-
 gniantur, non secus ac *varia vasa utensilia* Cap.
 III. sqq.

VI. Haec vero latius deduxisse demon-
 strasseque exemplis oportuit, quoniam hanc
 de *ἄλλ* seu *instrumenti Musici* cum *navigio*
 conciliando conjecturam, haud privam no-
 bis esse, ut principio putabamus, sed eandem
 & *Malvendae & Legionensi Ludovico*, doctis Hi-
 spanis, placuisse aliunde didicerimus; Eadem
 fen-

sententia tamen simul ab graviore censura ab-
 solvenda fuerit, qua num digna sit ipse vir do-
 ctissimus iudicet ex quo tot exemplis a nobis
 adstructa est. Ita ille p. 514. b. Commenta-
 rii in Esaiam. *Hoc esse vere eruditione & otio ab-
 uti. Quis enim, addit, ad rem attendens homo sibi
 persuadeat prophetam navem voluisse appellare cym-
 balum.* Neque enim illi hoc adstructum ive-
 runt, quod vir summus exinde conjicit. Id
 tantum voluerunt docti Hispani, notionem
 ⚔⚔, qua alias cymbalum insignitur, potuisse
 ob quampiam cum cymbalo formae adfinita-
 tem, etiam *navigio*, usu loquendi, conces-
 sum esse, adeo ut a *notione vasis* vel instru-
 menti musici ad *navem*, vel a *navi* ad instru-
 mentum musicum transductum sit vocabu-
 lum. Neque enim tum notionem amplius
 retinet *cymbali*, sed *navigii*. Cetera
 praetermittimus. (f)

(f) Continuationem hujus schediasmatis in sequentem
 fasciculum rejicimus.

PHILLIPPI COUPLET,
Belgæ, ex ordine Loiolita-
rum, Dissertatio (a) Congrega-
tioni de Propaganda fide oblata,
Anno MDCLXXXI.

De statu & qualitate Missionis
SINICÆ.

Ex Autographo auctoris.

ARGUMENTUM.

§. 1. Nullum hætenus stabile fundamentum propagandæ
 conservandæque Religionis Christianæ in Sina repe-
 riri, adeoque per indigenas sacerdotes id fieri oportere.
 §. 2. Christianismi prædicatio in Imperio Si-

(a) Cum nuper non sine voluptate singulari dissertationes
 historicas, Viri mea laude majoris *Maturini Veyssere LA CROZE*,
 Gallice Roterodami a. 1697. editas pervolverem, incidi in
 paginam 319. ubi citat hoc attentione dignissimum *ædior* *Philippi Cou-*
pleti, promittitque se oblata occasione commoda illud
 expositurum luci publicæ. Ego cum illud legendi desiderio
 valde tenerer, rogavi Virum summum, illius mihi ut faceret
 copiam, quo ejus copiam facere publico, mihi esset integrum.
 Annuit precibus meis pro mirifica, quæ in eo est, humanitate, im-

Sinarum soli Astronomiæ innititur. §. 3. Propositum de Sacris lingua Sinensi celebrandis, sublato usu linguæ Latinæ. §. 4. Expenduntur rationes seu motiva quæ SS. D. N. Paulum V. moverunt, ut Sinenſibus indulgeret lingua Patria celebrare, & humiliter imploratur indulti executio. §. 5. Quænam sit natura Linguæ Sinensis. §. 6. Difficultas pronuntiationis linguæ Latinæ apud Sinenſes. §. 7. Quam pronum sit & utile uti in sacris lingua erudita Sinensi. §. 8. Aliæ rationes pro usu linguæ Sinensis in Sacris. §. 9. Sacerdotes indigenæ vidui, & cœlibes maturæ ætatis eligendi. §. 10. Periculum ex usu Linguæ Latinæ. §. 11. Sine usu linguæ Sinensis in Sacris, Religio Christiana in Imperio Sinarum constare non potest. §. 12. Cur tamdiu cunctatum sit in usu Linguæ Sinensis in celebrationem sacrorum inducendo. §. 13. Conclusio.

R r 5

§. 1. Quod

penſoque, quo in me fertur, studio, atque hunc libellum ex autographo, quod ad Christianum *Menzelium*, Archiatrum Brandenburgensem olim Complectus miserat, manu sua descriptum, notulisque, quas adjectas vides, illustratum me allegavit. Præcipuas quidem ejus partes jam edidit *Daniel Papebrochius* in *Paralipomenis ad Conatum in Catalogum Pontificum Romanorum sub finem Tomi VII. mensis Maji Actorum Sanctorum Antverpiæ a. 1688. editorum fol. 126. & ſqq.* At sive alio exemplari *Papebrochius* usus sit, sive interpolaverit auctoris stylium, discrimina, licet non adeo magni momenti occurrunt. Est autem ea vasti *Papebrochiani* operis raritas, ut hoc scriptum heic loci legi, nemini possit accidere molestum, vel si integrum in *Papebrochio* exstaret. T. d. H.

Quod spectat ad statum rei Christianæ, etsi pacifice satis, tamen pro natura gentis politicæ, ac imperii amplitudine lente nonnihil promoveri quibusdam videbitur. Numerus certe Christianorum, cum inde discessi, non videbatur excedere, forte nec plane accedere ad CCXL. millia, & quotannis a nostris Patribus [nam de messe quam colligunt alii Sanctorum ordinum Missionarii nihil mihi certi constat] circiter & subinde XII. aut XIII. millia Christo regenerantur. Ex quo quidem satis colligitur quam Religio Christiana per tot annos intam vasto imperio, parum adhuc provecta sit, & licet centenaria, adolescens tamen censeriqueat. Quod quidem accidit tum ob gentis politicæ & superbissimæ ab omni extranea gente & Religione velut innatam aversionem, tum quod pedetentim & multa cum patientia rationibus potius quam (a) miraculis & mar.

(a) *Potiusquam miraculis.* Nescio an hic Cupletum non puduerit miraculorum a Sociis suis confictorum, cum pluribus aliis in libris, tum præcipue in *Historica Relatione de Ortu & Progressu Fidei in Regno Chinesi, ex Litteris præcipue Joannis Adami Schall.* Loiolitæ Colonienfis Ratisbonæ edita anno Christi MDCLXX. Ibi miracula incredibili numero referuntur a Loiolitis in Sinarum imperio patrata; quorum omnium fidem ele-

martyriis convincenda sit, ad eum fere modum quo in missionibus inter hæreticos fieri solet, tum denique quod etsi rationibus convicta sit, multis iisque gravissimis impedimentis sit illigata; cujusmodi sunt eorum quæ a majoribus suis acceperunt pertinax observantia, sui suarumque rerum stulta præsumptio, superstitionum quibus tenaciter adhærent multitudo, auri & honorum per fas & nefas acquirendorum inexplebilis quædam cupiditas, polygamix libertas, inconstantia indolis, pusillanimitas, suspicacitasque, & cetera. Unde consideranti in Imperio Romano post tria tandem sæcula primum exortam Religionis Christianæ libertatem, mirum non videbitur quod ea in hoc amplissimo Imperio per unicum sæculum, non ad eam quam multi in Europa imaginantur multitudinem pervenerit: tametsi sane ad tredecim provinciarum seu regnorum amplitudinem sit provecta, prædicata propagataque Religio Christiana. Quid enim sunt ducenta aut trecenta Christianorum millia ad ducentos & amplius animarum milliones, qui absque controversia Sinarum Imperio attribuendi sunt, nisi unus ad mil-

elevavit Dominicus Fernandez Navarreta, Tractatu I. cap. XI. pag. 83. col. I. ubi ipsius Adami Schall verba refert, quibus testari solebat opportunum esse fictiones in Europam scribere. „ *Escrivir à Europa* „ *quimeras es bueno, para lo que dezia & Padre Adamo.* Sic se ubique gesserunt Loiolitæ, ut alibi ostendam.

mille circiter? Quid sunt obsecro septuaginta fere urbes & oppida, in quibus Ecclesiae erectae sunt, ad bis mille & quadraginta quinque urbes & oppida civica, ut nihil dicam de locis militaribus, quae moenibus cincta ad MMCCCLVII. in Sina numerantur, praeter innumerabiles vicos & loca habitata; adeo ut quotquot sunt per Italiam totam sacerdotes vix videantur suffecturi ad tam ingentem animarum messem colligendam & excolendam? Et tamen nunquam humanitus sperari potest ut Europaei multi numero admittantur, & tollerentur. Sina quippe ab omni aevio, juxta leges & Politicam, extraneos, quibuscum per quater mille annos, commercium nullum habuit, prorsus excludit: Etsi hoc saeculo qui singulari quodam privilegio ingressi sunt, nomine solius Astronomiae Europaeae in aulam & per Imperium cum Diplomate Regio admissi sunt: alii vero tam nostri quam aliorum sacrorum ordinum Religiosi, per portam Macaensem, quae reliquis omnibus maritimis locis & portibus interclusis, sola patet, & clam quidem inscio Rege & supremis aulae magistratibus, ingrediuntur, in provincias & loca quae ab aula & provincia Pe-Kiensis remota sunt; quippe ut in aulica seu Pekinensi provincia quis pedem figat, Diploma Regium omnino requiritur, nisi quis velit in discrimen manifestum adducere totam aliarum duodecim provinciarum Christianitatem.

II. Astro.

II. Astronomia vero Europæa cui hæc-
 nus innitur Religio Christiana quam debile
 fulcrum est, & qui eam consequuntur favores
 Regii, quam fragiles & vitrei! quot casibus
 & æmulationibus invidorum, quot mutatio-
 nibus periculisque sunt obnoxii! Mortuo Pa-
 tre Ferdinando, an successurus in rei Astro-
 nomica præfecturam Europæus an Sinensis in-
 certum. Ipse Imperator qui anno MDCLXXV.
 per quinque menses docente Ferdinando, Ma-
 thesi & Astronomiæ Europææ, & Theoriæ
 motuum cælestium animum constanter ap-
 plicuit, jussit Ephemerides perpetuas ad bis
 mille annos expansas confici, servatque in
 Archivo suo Regio, interrogavit etiam ali-
 quando Ferdinandum cur non edoceret suos
 discipulos arcana Astronomica, & Theoriam
 motus Planetarum & Eclipsium more Euro-
 pæo ad accuratissimam calculandam, cum ingenio
 æque acuto & perspicaci ac Europæi polleant.
 Quæ quidem omnia videntur eo tendere, ut
 ab extraneis paulatim liberetur, cum tamen
 ipse Tartarus, tametsi Sinæ vicinus, extra-
 neus quoque sit censendus. Quanto magis si
 Sina aliquando recuperet Imperium? Sciri
 nequit qua ratione se cum extraneis sit gestu-
 rus. Ad hæc quadamtenus novit hæc gens
 suspicacissima potentiam Europæorum: hinc
 etiam Batavos, etsi optime de Tartaris meri-
 tos, quorum Classes ad Insulam Fo-Kien po-
 tentissimas viderat, non audet admittere ad
 com-

commercia. Novit etiam Americæ Regna & Philippinas sibi vicinas armis Hispanorum domita, ibidemque strages non semel editas, occisis ad internecionem multis millibus Sinenſium rebellium. (b) Novit vicinæ quoque Japoniæ decreta contra Chriſtianos, & ſupplicia exercita crudeliſſima, quæ in publicis Comitiiſ ab adverſario noſtro Yam-Quan-Sien objecta ſunt & voce & ſcripto. Ex quo patet quanti ſit moliminis & difficultatis extraneis in Sina ſedem ſtabilem figere, præ Regnis Siami, Camboyæ &c. ubi omnium nationum vicinarum & Europæarum advenis, more & habitu ſuo liberrima ſit commoratio. Nullum igitur hætenus ſtabile fundamentum Sina obtinet Religionis Chriſtianæ perpetuandæ. Si corruiſt Aſtronomia Europæa, ut ad eam adminiſtrandam promoveantur ſoli Sinenſes, hoc ipſo & favores Imperatoris, & per conſequens Præſectorum omnium; adeoque minima perſecutio ſufficiet ut omnes ad unum Europæi, prætextu etiam pietatis parentibus debitæ [uti in poſtrema perſecutione concluſum erat, niſi unicus affuiſſet Ferdinandus] in patriam remit-

(b) Hæc ſpectant ad librum Sinenſi lingua editum contra Loioltas ab Yam-quam-Sien, qui hæc omnia pluraque alia Miſſionariis Europæis objiciebat, ut habetur in *Compendioſa Narratione Proſperi Intorcetta Romæ edita anno Chriſti MDCLXXI. & apud Navarretam Tom. I. Tractatu VI. cap. XV. pag. 354. & ſequentibus.*

remittantur, (c) occludaturque in æternum janua urbis Macaënsis, & per consequens Religionis Christianæ, tametsi ea ipsa in Comitibus publicis, tanquam rectæ rationi & pacificæ gubernationi minime contraria, fuerit approbata.

III. Atque inter ceteras hæ fuerunt gravissimæ causæ, ob quas, tanquam præscius futurarum in gente tam politica persecutio- num, ac humanarum belli & pacis vicissitudi- num, Sanctissimus & sapientissimus D. N. Paulus V. pro paterna sua cura, communi Sinenfium animarum bono providere volens, post identidem habitas super ea re cum Eminentissimis Ecclesiæ Principibus, qui supra sexaginta tunc numerabantur Romæ, deli- berationes, tandem anno MDCXV. beni- gnissime indulfit, ut in lingua Sinica, non vulgari aut vernacula (qua sola vetat sacra peragi Concilium Tridentinum) sed erudita & litteratorum propria, possint a Sinis cele- brari Divina Officia Missarum, Sacramenta ad- ministrari, &c. quod ipsum ab ipsis Aposto- lorum temporibus apud alias nationes Græ- cam & Latinam & Abissinam, Copticam &c. usitatum fuit, prout Liturgiæ antiquæ testan- tur, & a variis deinde Pontificibus Christi, nationibus diversis indultum fuit. In primis
pro-

(c) Quotiescunque Peregrinos ejiciunt hic verbis uti so- lent humanitatem quandam præ se ferentibus; *Ita revisum Patrem & matrem.*

prostat Decretum Concilii Lateranensis, in quo Innocentius Papa tertius inquit: „ Di-
 „recte præcipimus ut Pontifices civitatum ubi
 „permixti sunt diversarum linguarum populi,
 „provideant viros idoneos, qui secundum di-
 „versitatem rituum & linguarum, divina illis
 „officia celebrent, & Ecclesiastica Sacramen-
 „ta ministrent. „ Et Sclavonibus idem con-
 cessum est ab Adriano Papa secundo, circiter
 annum Domini DCCCLXVI. & approba-
 tum a Joanne Papa VIII. ut constat ex ejus
 Epistola XXVII. ad Sfindopulchrum Comi-
 tem anno DCCCLXXX, & denique ad an-
 num MCCLXXX. ex Innocentii Papæ IV.
 Epistola ad Episcopum in Sclavonia, quam
 concludit his verbis: „ Nos igitur atten-
 „dentes quod sermo rei, & non est res Ser-
 „moni subiecta, licentiam tibi in illis dunta-
 „xat partibus, ubi de consuetudine obser-
 „vantur præmissa, dummodo sententia ex
 „ipsius varietate non lædatur, auctoritate
 „præsentium concedimus postulatam. „ Ad
 hoc ipsum quoque sancta Congregatio de Pro-
 paganda in terminis orbis terrarum fide, pla-
 ne visa est propendere, dum mature perpenso
 Pauli V. indulto, jam a XXV. annis manda-
 vit Illustrissimis & Reverendissimis Episcopis
 Vicariis Apostolicis, ut inquirerent quam
 prona ad fidem dilatandam rerum conditio,
 quis numerus Christianorum, quæ sacerdo-
 tum copiarum necessitas, quæ ad id muneris ap-
 titu-

titudo, quanta ad Latinam linguam addiscendam ac invehendam difficultas, quæ denique ex eiusmodi concessione Christianæ Religionis accessio sperari queat. Quid, quod ad ipsius Sanctæ Congregationis de Propaganda fide postulatum Sanctissimus Pontifex Urbanus VIII. benigne concesserit ut in Regno Persarum Arabica lingua sacerdotes celebrare possent? uti hic constat: „ Petentibus „ Fratribus Carmelitanis discalceatis ut Sacerdotibus sui Ordinis qui in Regno Persiæ existunt & in futurum existent, liceat Missam in „ lingua Arabica celebrare, Sanctissimus in „ Christo Pater & Dominus noster Urbanus „ Divina providentia Papa VIII. auditis Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propaganda fide „ sententiis, ad consolationem populorum, „ qui in eo Regno Catholicam fidem nuper susceperunt, sacerdotibus prædictis licentiam „ petitam concessit. „

IV. Quando SS. D. N. Paulus V. anno MDCXV. concessit amplam facultatem Sinen-sibus Sacerdotibus sacra peragendi lingua Sinica, mandavit ut non vulgari, sed erudita & litteratorum propria Sacro-sanctum Missæ Sacrificium, ac divina officia horarum canonicarum juxta ritum tamen Ecclesiæ Romanæ recitare & Sacramenta possent administrare. Rationes quæ ad hoc concedendum SS. Patrem permovere potuerunt, sunt in primis eæ

quæ communes sunt Græcis, Latinis, Maro-
 nitis, Cophtis, Armenis, Aethiopibus, &
 Sclavonicis nationibus, quæ simili gaudent
 privilegio ab Apostolis & primitiva Ecclesia,
 ejusque summis Pontificibus sibi concessio. Ad-
 hæc informatio de gentis Sinicæ moribus, in-
 dole, politica & legibus, quibus arcentur ex-
 tranei, & si quidem admittantur, solo titulo
 scientiæ profanæ ad tempus incertum, & qui-
 dem in exiguo numero tolerabuntur, potius
 quam admittentur. Sed & alia non parvi
 momenti ratio quæ nequaquam militat in
 aliis nationibus, ad favorem illum singulariter
 impendendum, lingua Latina adeo inibi pe-
 regrina & Sinensi nationi difficillima, ne di-
 cam moraliter impossibilis est. Judicavit ita-
 que prudentissimus Pontifex non esse in eas
 angustias compellendos Sinenses, nec arctan-
 dam salutis viam in numeroso populo, qui
 æternum periret, si ad id cogeretur, quod ha-
 bitudini ipsorum cum lacte imbibitæ adeo re-
 pugnat. Quæ quidem ratio quam solido ni-
 tatur fundamento, ex iis quæ de ipsorum lin-
 gua hic breviter placuit perstringere, licebit
 concludere. I. Sciendum in primis unam in
 toto Imperio Sinico linguam præcipue usur-
 pari, quæ dicitur QUON HOA, quod signi-
 ficat Mandarinica lingua, aut etiam CUM
 HOA, quæ littera CUM proprie universalem
 seu communem significat, multoque latius pa-
 tet quam Latina, quippe quæ tantum ab illis qui
 illi

illi studuerunt, intelligitur. Sinica vero ferme ab omnibus quasi cum lacte materno imbibitur, 2. Sunt & aliæ linguæ particulares Provinciarum, præcipue Meridionalium, & districtuum quorundam, quæ ab antiquis temporibus, antequam Sinarum Imperio subjicerentur erant nativæ, & adhuc retinentur. Vocantur autem HIAM EAN, seu rustica lingua: LV TV YV, hoc est terræ seu ditionis lingua, quæ quidem toto cœlo differunt ab illa communi seu Mandarinica, nec habent characteres quibus exprimantur. Extat in locis non paucis Mandarinica quidem lingua, sed plus minusve corrupta, ad eum fere modum, quo Italica lingua quibusdam dicitur corrupta Latina. 3. Ad hæc qui degunt in Provinciis Borealibus in modo asuperiori pronuntiandi, in primo congressu cum Australibus, ut pote delicatioribus, ab iis prima fronte difficiliter subinde intelliguntur. Non hic ago de Tartarica lingua, tanquam ad Sinas non pertinente, & edicto Regio, ob rationes status politici, doceri vetita.

V. In lingua Sinica communi non numerantur universim plura vocabula seu dictiones quam CCCXX. circiter, (d) & licet Europæis

Ss 2

pæis

(d) Hæ voces extant in Grammatica Sinensi Manuscripta Martini Martinii una cum characteribus suis, suntque instar fundamenti Grammatici totius Linguae. Nimirum eorum ope incognitorum Characterum

pæis litteris scriptæ videantur quædam polysyllabæ, singulæ tamen censentur monosyllabæ, aut instar monosyllabæ pronuntiantur, quippe cuique suo vocabulo seu dictioni sua unica & propria respondet littera, seu Character. Singula vocabula seu dictiones Sinicæ habent diversos accentus & tonos seu diversimode pronuntiantur. Sunt quæ undecim diversos accentus continent, uti CO & PO, &c. Sunt quæ octo, quæ sex aut quatuor tantum accentus continent. Sunt quæ aspirationis incapaces sunt, uti & apud nos, ut quæ inchoant a Consonantibus F. L. M. N. S. Et hinc fit ut si CCXX. supradictas dictiones secundum vocum diversos accentus & tonos annumerare volueris, universim consurgat numerus vocabulorum seu dictionum ad MCC. circiter, in quibus tota lingua gentis consistit. Eadem vox seu vocabulum sub uno eodemque accentu habet multas & varias significationes, v. g. decem, item viginti, quadraginta & amplius. Iterum sub alio accentu fere totidem, quæ significationes non vocis sono, qui idem est, sed ex sola picturæ diversitate dignoscuntur. Ex quo fit ut etiam Lit-

tera.

Iterum lectio, addita significatione in Lexicis Sinensium eruitur. Quæ res longe facilius est, quam vulgo sibi persuadere solent harum rerum imperiti. Certe modo non desit copia librorum, nulla fere lingua facilius addisci potest quam lingua Sinensis,

teratus audiens compositionem aliquam aut Epistolam legi, vix sæpe intelligat sensum, nisi ipsemet figuras inspiciat. Imo ob eandem vocabulorum penuriam & accentuum unius vocis similitudinem, non semel vidi ipsos Litteratos Sinenses inter se loquentes, de subjecta materia nihil intelligere, donec formato in aëre vel palma manus caractere, declararet de qua littera sermonem alteruter faceret. Quanto minus igitur plebs & vulgus promiscuum percipere poterit Missam Sinicam eruditorum Stylo compositam? nisi forte ea quæ in manuali precum, uti sunt *Kyrie eleison*, & *Gloria Patri*, *Oratio Dominica*, *Agnus Dei*, *Domine non sum dignus*, & alia hujusmodi reperiuntur, & ab aliis recitantur. Omnia verba tam passiva quam activa sunt inconjugabilia: tantum ad distinctionem personarum utuntur pronomibus. Ego, tu, ille; NGO, NI, TA, quibus in plurali addunt CHAI, vel POY vel TEM. Ad præteritum tempus denotandum particulam LEAO verbo postponunt. Futuro præponunt particulam CIAM. Modum Imperativum quomodo explicent ex *Oratione Dominica* patebit: Sic enim recitant. *Existens in Cœlis Pater noster, nos desideramus nomen tuum fieri, seu manifestari, sanctum, tuum regnum advenire, tuam voluntatem perfici in terra sicut in cœlo. Nos speramus te hodie daturum pro nobis nostrum quotidie usualem panem, &c.* Sic in Missa *Oremus* dicitur CUM TUM TAO, hoc est, *Invito omnes simul ora-*

re. Sic orationes fere omnes Missalis & Bre-
viarii quibus petitiones continentur, per te
obsecro, vel obsecramus, speramus te facere, vel
facturum, gratiam. Modus Optativus exprimi-
tur tribus vocabulis, PA, PV, TE, quæ
æquivalent Latino *Utinam*. Passiva expri-
munt præposita particula PI, quod est *recipe-
re*: v.g. NG ò Pí Tá. NGAí. *Ego recipio
ipsius amare, seu, ipsius amorem*. Quemadmo-
dum verba sunt inconjugabilia, ita & nomina
sunt indeclinabilia: neque genus, nec casus,
nec numeros admittunt uti Latina nomina;
quin etiam sæpe nomina a verbis non diffe-
runt, eademque pro varia positione & no-
men substantivum, adjectivum, verbum &
adverbium esse potest; quo fit ut Lingua Si-
nica, quamvis tam paucis vocibus constet, ta-
men copiosissima videatur. Nam ex varia
dispositione, ordine, antecedentibus & conse-
quentibus, ex adverbis & particulis interpo-
sitis omnia clarissime explicantur & intelli-
guntur quæ communi sermone proferunt.

VI. Hoc loco præcipue notandum velim
quod subjicio. Sinenses non tantum non
utuntur ullo Alphabeto, sed insuper carent
consonantibus apud alias gentes usitatis. Ca-
ret ealingua consonantibus B. D. R. X. Z.
quarum vice utuntur P. T. L. SS. vel G.
rò *beatus* dicunt, *Pe ya tu su*: *Deus* di-
cunt, *Te usu*: *Cruz* dicunt *Cu lu su*: *Maria*
dicunt, *Ma li ya*. Præterea nullam in
medio dictionis pronuntiant duplicem con-
so-

sonantem, nisi vocali interposita, nec in fine, nisi addita vocali: v. g. *Baptizo*, dicunt, *Pa pe ti so*: *Cardinalis* dicunt, *Kia ulb ti na li su*: *Est* dicunt *Nge su te*. *Silvester*, *si ulb ve su te le*: *Spiritus*, *su pi li tu su*. Adhæc duas vocales A, & E initio dictionis non possunt pronuntiare, sed loco A dicunt YA, verbi gratia *Adam* dicunt, *Ya tam*: AD dicunt *Ya te*; *Eva* dicunt, *Nge va*: Et dicunt *Nge te*. Denique nullum vocabulum desinit in consonantem, præterquam in M, & N, unde semper voci Europææ desinenti in consonantem adjungunt vocalem E, vel V. v. g. *Christum* dicunt, *Ki li su tun*: *Noster* dicunt *No su te le*: *Hoc* dicunt, *Ho ke*: *Hic*, *Hi ke*: *Sanguis*, *san ngu su*: *meus*, *meu su*. Denique ut difficultas pronuntiationis ex Sanctorum nominibus, qui in Canone Missæ occurrunt, cognoscatur, hæc accipe: v. g. *Petri*, *Andree*, *Jacobi*, *Bartholomæi*, *Cleri*, *Clementis*, *Sixti*, *Cornelii*, *Cypriani* &c. quæ ad faciliorem Sinenſium captum, ad modum Lusitanicæ vel Italicæ pronuntiationis sunt traductæ hoc modo: *Pe to lo*, *Ngan te le*, *Ya co pe*, *Pa ulb to lo me u*, *Kele to*, *ke le men te*, *Co ulb ne li o*, *Ci pi li y i no* &c. nec ut aliter ea pronuntient per Centum annos a nostris potuit impetrari. Prædictæ in pronuntiatione difficultates fere omnes reperiuntur in forma Latina consecrationis, *Hoc est enim corpus meum*. Sic enim dicent; *Ho ke nge sic te nge nim co ulb pu su me um*. Quod si scribantur illæ voces litteris suis Sini-

eis memoriae gratia, uti fit pro iis qui Missae in-
 servire discunt, sic scribent ut videantur sco-
 pae & sensus dissolutissimi. v. g. singularum
 sive XII. litterarum Sinicarum haec est signifi-
 catio. *Fluvius, posse, occiput, assequi, labor,*
quies, quisque tu, non, servus, pulsus, Dominus.
 Quod si aliis litteris Sinicis easdem Syllabas
 consecrationis velis scribere, quod quidem fit
 pro cujusque lubitu, interpretationem aliam
 habebis hoc modo: *Ignis, hospes, labor, ira, vi-*
ctus, frons, praestat, frater, aures reficere, mori, me-
ditari, herus. Item aliis characteribus signifi-
 cantibus: *Quomodo vincere, frons, resurgere,*
arumna, loquax, cacabus, duo, pannus, gratificari,
tria, Patrus. Itaque cum nullus sensus ex cha-
 racteribus intelligi queat, opus erit ut Sinen-
 sis credat se Latine dicere; *Hoc est enim corpus*
meum, quod idem est ac si quis loquens septem
 verba, seu nomina dissoluta deberet intellige-
 re, *Pater noster qui es in caelis.*

VII. Ad quid igitur in tam Sacrosancto My-
 sterio per tot ambages & difficultates, & pe-
 ricula ne invalidetur aut risui exponatur Sa-
 cramentum, ad formam Consecrationis La-
 tinæ, cum intolerabili onere pronuntiandam,
 Sineses adigere, cogereque ad eas litteras &
 consonantes pronuntiandas quas per IV. Mil-
 le annos non potuerunt, nec possunt com-
 muniter loquendo, nisi difficillime pronun-
 tiare? praesertim cum Sineses habeant adeo
 clara verba & litteras verbis Latinis & sensui
 aequi-

æquivalentia, quemadmodum baptismi omnium nationum, etiam Barbararum linguis, valide & licite exprimitur forma. Et forma consecrationis apud alias gentes Asiæ, Africæ, Europæ præsertim, iis verbis æquivalet & sensui Syriaco quo Christus & Apostoli consecraverunt. In Missali ergo Sinico verba Consecrationis sunt sequentia: *Cai Cu Cie ngu kiu ti ye*. Sensus de verbo ad verbum sic habet: *Nam hoc est corpus meum, vel, mea corporea substantia.* Dici item brevius potest: *Cai cu cie ngu xim ye*: Sed *xim* seu corpus grossius & trivialius verbum est aliter: *Cu nay ngu ti ye*: *Hoc enim meum corpus, seu mea substantia corporea;* quod vocabulum passim in usu est, cum de mutua corporis valetudine interrogant. Et passim inter Christianos. *Lim Xim ti* dicitur hoc est, cum reverentia sumere sacram substantiam, seu sacrum corpus Christi. Et hac quidem postrema formula usi sunt olim in suis libris P. Emmanuel Diaz, & P. Julius Aleni in litteris Sinicis peritissimi. Sed *est*, more Hebraico hic subintelligitur, tantum ut si quis Latine diceret: *Hec res mea*, subintelligendo est. Quod si vernacula ipsorum lingua volueris exprimere, sic scribunt: *Tn que y che co xi ngo tie xin zu*: *Quia hoc est corpus meum, seu mei ipsius corpus.* Sed videlicet sic scribere aut imprimere sicut vulgo loquuntur in Sina vix usitatum & insulsum sibilisque omnium censeretur obnoxium in Mystero adeo Sacrosancto tam abjecte loqui.

VIII. Quæ cum ita sint, quandoquidem ea est in addiscenda pronuntiandaque Lingua Latina difficultas & ineptitudo, uti supra ostendimus, liceat mihi hic unicum proponere argumentum in favorem Sinicæ gentis rei que totius Christianæ. Quicumque a Deo ad Dominicæ vineæ culturam vocantur ac destinantur, ex justitiæ jure tenentur ad non arctandam salutis viam animabus, cujuscumque nationis & conditionis sint, magis quam ex natura rei, & ex vi legis Divinæ juxta Supremorum Ecclesiæ rectorum legitimam dispositionem declarationemque absolute cogimur. Sed docere Sinenses linguam Latinam tanquam præcise necessariam ad sacra rite peragenda, hoc est Sinensi nationi magis arctare viam salutis, quam ex natura rei & ex vi legis Divinæ absolute cogamur: Ergo ex jure Justitiæ tenemur ad non docendos Sinenses linguam Latinam tanquam præcise necessariam ad Sacra rite peragenda. Minor probatur: Redigere Sinenses in eas angustias ut sacra peragere moraliter non possint, hoc est tantæ nationi magis arctare viam salutis quam lex Divina requirat: Sed docere Sinenses linguam Latinam eorum habitudini communiter difficillimam asperrimamque, & gravibus periculis obnoxiam, tanquam præcise necessariam ad sacra peragenda, hoc est reducere Sinenses in eas angustias, ut sacra moraliter peragere non possint: Ergo docere Sinenses
lin.

linguam Latinam velut ad Sacra peragenda necessariam, hoc est, Sinensi nationi magis arctare viam salutis quam Lex Divina requirat. Quod vero lingua Latina Sinensium habitudini communiter difficillima asperrimaque & gravibus periculis sit obnoxia, in quo tota vis argumenti consistit, ex iis quæ superius adducta sunt satis superque videtur probatum, & quotidiana per unius sæculi spatium tot Missionariorum Europæorum constanti experientia & unanimi iudicio & consensu est manifestum. His igitur ita positis liceat nunc mihi quærere an si Apostolorum Principes Petrus & Paulus (e) in Sinam prædicaturi
 fidem

(e) Mirum est hæc vidisse Loiolitas, nec tamen ea ratione Christianismum docuisse in his regnis Orientalibus, ceterisque nationibus Barbaris, quæ sane nunquam aliter ad Christianam religionem adducuntur. Rex vastissimi Imperii Congo in Africa jam ab anno MCCCCXCI. una cum tota gente sua Lusitanorum religionem amplexus est, licet ab ea ætate, quicquid egerint, primo Lusitani Sacerdotes & Monachi, deinde Loiolitæ, subinde vero Capucini, nullam formam Ecclesiæ Christianæ, etiam Pontificiæ, hæc gentes induerint; nimirum quod neque sacrarum litterarum cognitione imbuantur, nec indigenas concionatores habeant. Quam in rem digna est, quæ legatur, Antonii Zucchelli, Capucini harum regionum descriptio edita Venetiis, Anno Christi MDCCXII. Quisquis attendet ad innumeros Monachos & Sacerdotes Pontificios jam a ducentis annis in Asiam & Africam missos, jure mirabitur tam exiguum tot summae & laborum fructum apparere, nec vel unam
 gen-

fidem primum advenissent, non id in primis
 facturi erant quod Romæ & Athenis egerunt?
 An non relicta lingua Hebraico-Syriaca usi
 fuissent lingua erudita Sinensium litterato-
 rum, quemadmodum mox Græca & Latina
 hic usi sunt, cum tamen in pronuntiandis lin-
 guæ Hebræo-Syriacæ consonantibus nulla
 prorsus intercederet difficultas, qualis est apud
 Sinenses? An igitur erunt deterioris condi-
 tionis innumeri Sinenses, ex eo quod serius
 reliquis Europæ, Asiæ, Africæ nationibus ad
 lumen Evangelii quasi hora undecima vocati
 sunt? Cur igitur negabitur executio concessi
 privilegii primitivæ illi & Neophytæ adhuc
 Sinarum Ecclesiæ, quod non Græcis tantum
 &

gentem sacra Pontificiorum esse amplexam; cum tot
 aliæ in India Orientali intra brevius temporis spatium
 Mahumedismo nomen dederint. Scio doctissimum
 Marraccium in Præfatione ad Refutationem Alcorani
 arbitrarias quasdam hujusce diversitatis causas com-
 minisci; rem enim fatetur. At manifestum erit pro-
 positas ab utraque parte rationes perpendenti, hoc
 idcirco fieri quod Evangelium & cæteros veteris &
 Novi Testamenti libros his gentibus Pontificii sacer-
 dotes abscondant, Mahumedanis e contrario Aleo-
 ranum suum ultro obtrudentibus. Hinc nemo non
 laudaverit Danicorum Missionariorum, Ziegenbal-
 gii præcipue *ἢν μαχαρίτῃ* prudens consilium, qui
 Christianæ religionis prædicationem apud Indos Ma-
 labarenses a Novi Testamenti versione feliciter auspi-
 catus est.

& Latinis, (f) sed & Abissinis, Armenis, Sclavonibus, Maronitis, Cophtis, Indis Thomæis concessum fuit, quæ postremæ nationes una simul conjunctæ cum XV. Sinarum Provinciis, quæ totidem sunt amplissima regna, nec incolarum frequentia, nec unitate regiminis, nec litterarum studio, nec morum urbanitate, gravitate ac prudentia sunt comparandæ? Quæ, obsecro, ratio movit SS. Apostolos & Christi Vicarios indulgendi Latinis ac Græcis aliisque nationibus, ut sua quæque lingua sacra perageret, nisi ut eo modo Religio Christiana ubique per indigenas suos propagaretur, & ut Christi sanguis pro omnium fufus salute ad omnes citius, facilius, largiusque derivaretur & diffunderetur? Cur igitur Ecclesiam Romanam non movit eadem ratio dilatandæ fidei in Sinarum Imperio? Quæ ratio, obsecro, quod impedimentum afferri potest, quod idem militare non poterat pro aliis nationibus, quibus ea facultas sacra peragendi auctoritate Aposto-

(f) Mirum sane videri debet Indultam hic vocari eam rem quæ ad Jus Divinum pertinet. Deinde qua fronte dici potest Græcos, Armenos, Aethiopas &c. ex indulgentia Romani Episcopi id habere, quod ab initio Christianismi sui constanter tenuerunt, & sine quo vix ac ne vix quidem pervenissent unquam ad cognitionem veritatis? Id vero de Græcis affirmare quam absurdum est! cum & ipsos primos Episcopos urbis Romæ lingua Græca in sacris usos esse nullo negotio demonstrari possit.

stolica indulta fuit? Quæ ratio tanti momenti & ponderis in contrarium adduci unquam potest, quæ prævaleat ac præponderet salutis gentis numerosissimæ? Cur ergo peribunt additi ignibus tot milliones animarum, in æternum blasphematuræ Deum, qui non est acceptor personarum, idque quia non potuerint nisi difficillime & periculosissime pronuntiare Latina verba; uti e contra æternum essent Deum laudaturi, si quidem, quod aliis multo minoribus & inferioribus nationibus fuit concessum, quodque a septuaginta annis a Paulo V. fuit Sini indultum, sibi exequi licuisset?

IX. Non diffiteor equidem difficultatem in pronuntianda lingua Latina a pueris magna ex parte tolli posse; verum instituere in Sina puerorum Seminaria, præterquam quod admodum lenta difficilisque res futura sit, timeo ne post multorum annorum labores & sumtus maximos in illorum institutionem factos, tandem & alumnos simul & operam & oleum perdamus, uti LXX. annorum fere experientia edocti sumus, dum Seminarium in Provinciae Che kian Collegio Nam cheano & Macai alterum instituimus, non alio tot annorum & laborum successu, quam quod sex septemve ad societatem nostram in Coadjutores temporales admissi fuerint. Movit autem præcipue tum temporis moderatores nostros, quod viderent in Japonia, ubi tunc florebat Religio e nostris Seminariis tot tamque

que egregios & constantes viros prodiisse, qui pro Christo sanguinem suum gloriose cum Europæis præconibus, constantia quoque Europæa effuderunt; adeoque a privilegio a Paulo V. concessa executioni tantisper supersedendum censuerunt: Verum tandem ferius cognoverunt cum sacerdotibus tam Europæis quam indigenis etiam radicitus exterminatam fuisse linguam Latinam, occlusumque penitus aditum per L. annos & amplius prædicandæ in Japonia Religionis Christianæ. Hujusmodi autem linguæ Latinæ seminarium in Sinarum Imperio stabiliri vix potest, tum propter naturalem gentis præ Japonica inconstantiam, maxime quidem in adolescentia, tum propter fraudes & molestias parentum, filios suos suis usibus & necessariæ sustentationi repetentium, tum denique ob difficultatem continentia, præsertim in illo primo fervore adolescentiæ. Quo circa multo tutius & magis expeditum videtur in his initiis, viduorum & ætatis maturioris virorum opera uti, quod ab Apostolis ubique terrarum factum esse constat. Quando enim, aut ubi legimus aliquem Apostolorum seminaria adolescentium instituisse ad sacerdotes formandos? Ubi legimus quemquam voluisse linguam Syriacam apud alias gentes introducere? Si quidem Latini aut Græci linguam Syriacam & litteras didicerunt, non alio certe fine id egerunt, nisi ut sacra Biblia & Rabbiorum Commentaria in
lin.

linguam Græcam aut Latinam traducerent, uti Europæos libros in Sinensem traducunt Europæi. Accedit quod hoc modo sacerdotes habituri sumus viros graves & honoratos, & ut tales passim cognitos popularibus suis, cum e contrario alumnos illos a nobilioribus familiis habere difficillimum sit futurum. Emere autem parvulos aut admittere inopum filios, & paulatim excultos atque eruditos in lingua Latina ad sacerdotium evehere, detrahet plurimum Ecclesiasticæ dignitati: quod quidem cum innotuerit, celari enim vix potest, quam tandem auctoritatem sacerdotes eiusmodi Sinicis plerumque litteris & eruditione parum aut nullo modo exculti, apud literatos & nobiles viros etiam Christianos, obtinebunt?

X. His addo quod minime credibile est gentem hanc tam politicam, tam suspicacem, & a novis doctrinis ac ritibus tam alienam, præsertim hoc tempore, permissuram ut vigeat in regno suo usus peregrinæ linguæ, quam Judices & urbium Præfecti nequeant intelligere, soli autem Europæorum hominum discipuli & Sectatores intelligant, & per eandem clandestina inter se consilia tuto conferre possint. Quoniam vero augescente Christianorum numero, necessarium erit alia atque alia alumnorum seminaria institui, quis, obsecro, persuadere sibi possit permissum iri a Sinis ut in medio Regno suo peregrinæ linguæ seminaria

naria ejusmodi instituantur? Quod si ipsemet
Tartarus Imperator, qui toti jam Sinæ pacifi-
ce dominatur, vel nativam gentis suæ lin-
guam introduci nolit inter Sinensem popu-
lum, quid facturum putamus si linguam e re-
motis Europæ regnis huc intulerint præco-
nes Europæi, non secus fere ac si vestitum
Gallicum aut Hispanicum vellent introduce-
re? Itaque non tantum erunt hujus rei initia
difficillima; sed tametsi labore constantiaque
difficultates primæ vincantur, tamen haud
quaquam perpetua res esse poterit. Quo
enim pacto ferent viri primarii & magistratus,
etiam Christiani, ut per totum Imperium assi-
due celebretur Missa, e qua ne verbum qui-
dem vel ipsi litterati Sinenses percipere que-
ant? In Europa certe ubi Latine & Græce
officia peraguntur divina, saltem a litteratis
ubique omnia percipiuntur; quin etiam a
plebejis non pauca, præsertim ubi lingua vi-
get Italica, Hispanica, Lusitanica, Walachi-
ca quæ magnam habent cum Latina affinita-
tem & similitudinem, quod idem locum ha-
bet in lingua Græca, cum qua aliæ linguæ
corruptæ plebeiorum in multis conveniunt.
Et usu veniet quoque in Sina, cum incredibi-
li animorum solatio & fructu, si lingua Erudi-
torum propria, Laconica & sublimi, sacra
peragantur. Denique ut alia præteream, si
Sinenses linguam Latinam calleant, quot hæ-
resibus & novis dogmatibus exponetur Reli-

gio Christiana, Batavis, scilicet, Anglis, aliisque heterodoxis commercii gratia huc adventuris, & una cum mercibus pestiferos libros Europæos ultro ingerentibus? E quibus gens curiosa gaudebit scire quot hujusmodi schismata & scandala (g) in Ecclesia, quæ colluvies Hæresium in variis sæculis, quot & quam cruenta bella inter homines Christianos extiterint: adeoque cum gens ea sit novarum rerum cupida, cum indolis sit mobilioris & inconstantioris, quam pronum erit in lectura librorum hujusmodi Europæorum ansam arripere ad seminandos errores & novæ dogmata purissimæ & sanctissimæ legi Catholicæ adversantia? Jam vero in patrio Sermone litterisque suis relinquuntur, non plus equidem scient quam quod libri Sinici ab Europæis Missionariis editi & deinceps edendi continebunt, adeoque millenis perplexitatibus, hæsitacionibus, hæresibus & scandalis aditus magna ex parte obstruetur; nihilque præter unicam linguam hic reperietur aut videbitur audieturque quod cum Romanæ Eccle-

(g) Idem fere ait Navarreta, Tractatu secundo, cap. XIII. pag. 98. col. 2. „Omnes, inquit; Missionarii „fatemur singulari quadam Dei providentia Sineses ea ignorare quæ apud Christianos in Europa „aguntur; quæ si nosset, nemo esset illorum quin „in facies nostras inspueret.„ Eam in rem multa alia ibidem Navarreta congestit, scriptor supra omnes ordinis sui viros ob animi candorem in primis laudandus.

clesiæ consuetudine, rituque non consentiat. Quo etiam nomine ampliori favore digna præ ceteris nationibus videri debet nobilissima gens Sinarum. Nam cum reliquæ nationes, non tantum lingua a Latina diversa, sed etiam ritu ab Ecclesia Romana plane diverso sacra peragant, sola China uno quidem ritu Romano & Latina consuetudine ea peraget, adeoque a solis ortu usque ad occasum Romana spectabitur & triumphabit Ecclesia. Neque hic pertimescendum videtur ne privilegium hoc Sinæ concessum cedat in exemplum aliorum Regnorum. Quæ enim alia terrarum orbis cogniti Monarchia similis reperitur, in qua, ut alia reticeam, lingua tam singularis sit, & characterum sexaginta millium varietate a ceterarum omnium nationum linguis litterisque longissime differat?

XI. Cum igitur hoc unicum videatur superesse remedium propagandæ & in perpetuum stabiliendæ Religionis Christianæ, ad pedes Sanctitatis suæ provoluta Sinensis Missio, hanc unicam gratiam postulat ut dignetur concedere ut quamprimum per Illustrissimos Episcopos a Sanctitate sua submissos, manus tanti momenti negotio admoveatur; quandoquidem tamdiu in promptu sunt omnia ut idioma Sinico & ritu Romano sacra peragantur. Si ergo illam gratiam indulserit sancta sedes Apostolica, pro quantum consuletur rei Christianæ & salutis tot animarum in ulti-

mo, maximoque Orientis Imperio! Non enim hic agitur de una Græcia, aut Armenia, aut Arabia, Sclavoniave, quæ suo quæque idiomate sacra peragit; Sed agitur de Imperio quod totam Germaniam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Poloniam, multitudine urbium locorumque, & duas Europas (absit verbo invidia) frequentia superat incolarum. Quin etiam ipsa Japonia quæ per quinquaginta annos manet occlusa, & Corea, Tum-Kinum, aliaque vicina regna & Insulæ poterunt aliquando frui Apostolico suæ sanctitatis beneficio: quippe ubi Sinenses Characteres apud Litteratos duntaxat in usu quoque sunt, & tamen pronuntiatio sit diversa, eundem tamen sensum invariabiliter continent. Quanta etiam Romanæ Ecclesiæ ac Sanctæ Congregationi de Propaganda fide, usque ad extremum terræ accedet gloria præ aliis omnibus Asiæ missionibus, si aliquando, uti certe sperandum est, adeo brevi dilatetur per plurimos indigenas sacerdotes Religio Christiana (h)

(h) Id unum ubique terrarum spectare videntur Loiolitæ, ut formidabiles evadant, quod satis superque docet præsens Europæ status, nec ipsi dissimulant in regionibus præsertim Orientalibus. Ipse Xaverius, referentibus Loiolitis dicere solitus erat, nullam esse spem Christianismi cum fructu inducendi, nisi armata manu prædicatio niteretur: *dezia el Santo, que mi-entras no estuvieran debaxo del mosquete, no avia de aver Christiano de provecho.* Navarreta pag. 436. col.

Ut ipsis etiam Imperatoribus Sinicis & Principibus Ethnicis formidabilis sit futura credentium multitudo, uti est modo Mahometanorum, qui ante DCC. annos ingressi sunt Siam, & Bonziorum qui a mille & sexcentis regia auctoritate admissi sunt, quas ob politicum regimen, & pacis communis conservationem, vel inviti dissimulare ac permittere coguntur ii penes quos est totius Imperii administratio & potestas. Quod si autem dominante adhuc familia Tartarica, quando tot favores Regii & libertas propagandæ fidei adhuc perseverant, quando etiam jam aliqui sunt ad sacerdotii gratiam recipiendam dispositi, si inquam hanc occasionem elabi patiamur; si post moram LXX. annorum a privilegio Sinis concessa a SS. Domino nostro Paulo V. in novas iterumque longas deliberationes res protrahatur; si expectatur donec Tartaricum jugum Sinenses excusserint, vel Astronomia Europæa, & per consequens fidei præcones e tota Sina ejiciantur, quod in dies timeri potest; heu quot animarum millibus in æternum forsitan, salutis janua occludetur; adeoque viduata a suis pastoribus lugebit Sina, uti tamdiu luget Japonia, e qua cum Europæis fidei præconibus etiam Latina lingua, qua indigenæ sacerdotes sacra peragebant, tot annis

T t 3 exu-

col. 2. Nec aliud Balthasar Tellez inculeat pluribus in locis Historiæ Æthiopiæ, præcipue pag. 184. col. 2. & 196. initio.

exulat. Et quando tandem spes erit, quisve modus exulantem fidem, sive in Sinam, sive in Japoniam revocandi? Peribunt ergo, sicis oculis inspectante Roma, peribunt in æternum tot milliones animarum, pro quibus mortuus est Christus. Interim si lingua patria sacra peragere Sinensibus quamprimum concedatur, jam cessabunt suspiciones ortæ ab exterorum ingressu & consuetudine; pauciores item erunt persecutiones, quarum multis ansam nos Europæi præbemus, tum ob diversitatem opinionum & rituum, tum ob quorundam zelum indiscretum & præcipientem, tum quod viis vetitis ingressum aliqui tentant; tum denique quod alii morarum impatientes, & spiritu nescio quo impulsæ in Sina agere meditantur tanquam si cum (i) Barbaris & Americanis, ubi jurisdictio Hispanica dominatur, hic foret negotium. Cessabunt etiam invidorum æmulationes & odia, & si quæ persecutiones ingruant, facilius multo opera indigenarum quam exterorum sopientur,

(i) An Barbari sint Sinenses disputat Navarreta, Tractatu I. p. 14. nec sine manifesta injuria pro talibus haberi posse ostendit, pag. 291. & 292. At Sinenses pro Barbaris habent Macaenses Lusitanos, quibus si quid scripto respondeat Sinensis illius infule Prærex cujus extremam partem Lusitani colunt, hanc formulam rescripti sui initio adscribere solet: *Hæc gens Barbara & belluina hoc petit, quod ipsi concedatur vel negetur: „Esta gente barbara y brutal pide „esto, conceda se le, o niega se le.,*

tur, præcipue si Sacerdotes viri sint graves & litteris exulti. Unde si Sacerdotes omnes Europæi, quod pronissimum est, ejiciamur, perseverabit certe Catholica semper Religio, & exules Europæi aut in urbe Macaënsi, si quidem hæc etiam non aboleatur, aut in Regno Siami, aut Insulis Philippinis non longe aberunt a Sina, cum qua litterarum commercium per Sinenses huc illuc mercimonii gratia commeantes, haberi poterit; unde & subsidia tam spiritualia quam temporalia, quibus in fide confirmentur ac foveantur, nancisci poterunt; præterquam quod [prout est in Imperio pro rerum temporumque ratione Deo ita disponente vicissitudo] sperandus sit Europæorum aliquorum in Sinas aliquando ingressus, sive per Europæam legationem, sive prætextu pietatis erga majores nostros, illic defunctos & sepultos, uti supra meminimus, sive via scientiarum artiumque novarum, sive alia, quam Deus suo tempore aperire rursus dignabitur.

XII. Atque hæc demum est sola & unica causa ob quam per tot maria missus fui e Sina in urbem; hæc una qua tencor obtinendæ gratiæ Apostolicæ spes & fiducia, qua animatus in Sinam felix nuntius per eadem maria opto regredi: hæc denique laborum unius sæculi unica quam [licet immerentes] speramus, merces & consolatio. Equidem hic non ago pro minima nostra Societate, non pro

domiciliis & templis nostris per XIII. Provincias conservandis, pro quibus tanquam pro aris & focis forsitan agerent aliqui, qui inter nostros (k) aliter sentiunt de Sacerdotibus Sincis promovendis. Non, inquam, ago de Societate nostra isthic stabilienda, tametsi Centum annorum labores & ærumnæ ibidem exantlatæ id mereri videantur. Ago hie duntaxat pro salute communi Sinensis Orbis per ipsos indigenas procuranda, & pro astruenda libertate immensi populi sub tyrannica Dæmonum servitute tot Sæculis ingemiscantis, & in extrema illa animæ suæ necessitate constituti, & quasi ante oculos orbis Christiani & Urbis tam miserandum in modum & in sempiternum intereuntis. Certe si juxta omnium doctorum sententiam teneamur succurrere proximo in extrema necessitate constituto & præcepto Caritatis, etiam cum vitæ periculo, dummodo sit æque certa spes illum juvandi, neque gravius inde malum immineat; quandoquidem innumeri sunt in tanto Imperio, qui sine spe salutis moriun-

(k) Hæc ad Lusitanos Loiolitas spectant, qui ut superstitiosiores & indoctiores, aliis subinde negotia facessere solent. Supremam præterea sibi auctoritatem arrogant in Regno Sinensi, cum ex Bulla Alexandri VI. totum hoc Imperium ad Regem suum pertinere palam profiteantur; quæ ipsorum sententia, inquit Navarreta, si semel ad cognitionem Sinensium pervenerit; actum prorsus erit de vita omnium Missionariorum.

riuntur, quibus potest adeo facile per indigenas sacerdotes occurri, numquid tenebimur expectare donec veniant pauci aliquot de novo (l) Europæi, qui iterum iterumque post longum & linguæ & litterarum & morum gentis per aliquot annos studium & notitiam, tandem quid expediat iterum iterumque examinent ac deliberent? Aut expectandum donec Sinenses aliquot e face plebeia & editii adolescentes didicerint linguam Latinam, e quibus deinde aliqui seligantur ac promoveantur ad Episcopalia & Sacerdotalia mûnera? Præsertim cum jam dudum in promptu sint & Missale & Rituale Sinicum, (m) quæ si SS. Domino nostro Paulo V. cum tot purpuratorum Patrum senatu quondam videre licuisset, quam exultasset, quod adeo patentem januam Evangelio latissime propagando aperuisset! Certe ut candide loquar, non audeo hic omnino excusare quorundam olim Societatis nostræ in Sina operariorum

Tt f lan-

(l) Eo videntur hæc spectare ut nulli aliorum ordinum sacerdotes, quorum societatem Loiolitæ modestissime ferunt, in Imperium Sinense deinceps ingrediantur.

(m) Hic observari potest nullam fieri mentionem versionis Librorum Sacrorum, quos nunquam Sinensibus, etiam eruditis, obtulerunt. Compendium quidem quoddam vitæ Domini nostri Jesu Christi Sinice edidit Julius Aleni, Loiolita, sed ita comparatum ut a fabulosa vita Christi ab Hieronymo Xaverio Persice edita non multum ablusat.

languorem quemdam, & nimiam post tot annos cunctationem in exequendo Pauli V. indulto, Sinarum genti tam proficuo. Nec probare possum quorundam Macai degentium de gente Sinica, quam non norunt, vilissimam opinionem, quasi ad munus illud sacerdotale ineptiores essent Sinenses quam Maronitæ, Cophti, Sclavonici, & Cretenfes, ventres pigri & semper mendaces, e quibus tamen & Episcopi & Sacerdotes ab Apostolo Gentium sunt ordinati. Non inficior etiam eo tempore quo Breve prodiit Apostolicum, anno XV. hujus sæculi, immaturam adhuc visam fuisse executionem, quia innascente & adhuc balbutiente Ecclesia, pauci reperiabantur adultiores & vidui ad id munus idonei atque dispositi, & Missalis aliarumque rerum ad sacra rite peragenda nondum facta erat versio, qui aliquot erat annorum labor. Secundo post indultum Pontificium, anno MDCXVI. quasi totus Infernus contra illud jam armaretur, orta est gravissima in toto Imperio contra Præcones Europæos tempestas & persecutio, qua omnes Macaiim e Sina exterminabantur. Tertio, ob bellum Hispanum inter & Lusitanum de obtinendis uti prius Episcopis spes nulla erat, cum & ipsi Lusitaniæ negarentur. Quarto, Successit & bellum Tartaricum & totius Imperialis familiæ interitus, quo tempore socii hinc inde dispersi, & aliis captis, aliis fugien-

gientibus, quis modus supererat vel cogitan-
di de Sacerdotibus indigenis disponendis &
consecrandis?

XIII. Igitur videbatur Divina providentia
reservasse rem illam tanti momenti, quando a
XX. & amplius annis excitata est illa gravissi-
ma persecutio, qua tanquam rei capitis pri-
mo in aulam evocati, deinde in exilium Can-
toniense fuimus, trium ordinum Religiosi,
relegati. Tum demum aperire oculos cœpi-
mus, & damnare (si quis fuit) nostrum er-
rorem, & serio apprehendere necessitatem
medii illius adhibendi, quod a Paulo V. Si-
nensibus indultum fuerat; quandoquidem in
procinctu esset ut ad oram maris jam positi,
omnes omnino in Europam amandaremur,
quod sane factum fuisset, si unicus defuisset
tunc Ferdinandus Verbiest. Mox igitur
missus ab exilio in urbem procurator Pater
Prosper Intorcetta, ut hoc negotium negotio-
rum quam efficacissime proponeret, atque
urgeret in Curia Romana. Et quidem Reve-
rendus admodum Pater noster Generalis an-
no MDCLXXII. jam facultatem dederat Vi-
ce-Provinciali Sinensi admittendi in Societa-
tem ex litteratis Sinensibus viros ætate ma-
turos, non dubitans quin tanti res momenti
a Paulo V. tam benigne concessa, approba-
retur ac confirmaretur ab iis penes quos spe-
ctat propagandæ utrobique Religionis aucto-
ritas & potestas, & multo magis cum Sacri
Præ-

Præsules Sinarum Imperium jam sint ingressi, penes quos solos spectat approbare, admittere, que ad sacros ordines, quos non indignos eo munere judicaverint. Quod si hanc optatissimam occasionem commoditatemque elabissimus, quandoquidem in dies imminentem omnium capitibus fatalem persecucionem, quod Deus avertat, timemus, ecquis erit, obsecro, alius modus resarciendi rem Christianam, nisi quamprimum præcipui momenti negotio manus & opera adhibeatur? Alioquin uti de Japonia ita & de florentissimi Imperii salute in æternum forsitan actum erit, deque incomparabili jactura lugebit cælum & terra, & solus triumphabit Infernus. Quid dico? triumphabit Infernus: imo vero aspirante & militante Deo Exercituum, de ipso Inferorum imperio triumphatura est aliquando Romana Ecclesia, & oppositura Tartareis potestatibus velut scutum inexpugnabile, tot millenas animarum Sinicarum Myriades, tanquam erepta ab Inferis spolia cælo gloriosius inferenda, dum patentissimum hunc Divinæ gloriæ per indigenas sacerdotes, undequaque promovendæ campum amplissimo corde longe lateque propagabit, amplificabitque usque ad terminos orbis terrarum. Tum enim vero impletum aliquando spectabit Europa illud Malachiæ Prophetæ: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum nomen meum in gentibus, & omni loco sacrificatur & offertur nomi-*

mini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, Et illud quoque impletum gaudebit Isaiaë ratioeinium, de quo & multi interpretantur illud Capitis XLIX. *Ecce isti a longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi.* Hebraea littera habet, *de terra Sinim.* (n) Osorius vero, Arias Montanus, a Lapide & alii putant esse ratioeinium de Imperio Sinarum [quod scilicet Imperium initium sumit a XL. gradu, sub quo item est Palæstina, per tres & viginti gradus Austium versus] unde vertunt; *Et isti de terra Sinarum.* Sicuti enim Hebraice Gelilim vocantur Galilæi; Jehudim, Judæi; Assurim, Assyrii; Chasdim, Chaldæi, ita non potuit Isaïas Propheta Sinas aliter nominare, quam dicendo Sinim, id est, terra Sinarum, qui sunt populi de quibus hic dicitur: *Ecce isti de longe venient: unde mox subit conversionem cum publico cœli terræque applausu consecuturam. Laudate cœli & exulta terra, quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur.*

(n) Adi, si lubet, Hornii Arcam Noë pag. 53. & 441. item ejusdem Origines Americanas, pag. 23. & Basnage Historiam Judæorum, Tom. IV. prioris editionis. pag. 952.

Maturini Veyssiere
LA CROZE,

De Scriptore Questionum
ad Orthodoxos, (a) quæ inter
Opera JUSTINI Martyris
 edi solent,

Ad Virum Celeberrimum
Joannem Laurentium MOSHELM,
 Epistola.

ARGUMENTUM.

Scripti hujus occasio §. 1. & 2. Autor quæstionum ad Orthodoxos ante Isidorum Pelusiotam vixit, & quidem temporibus Juliani. Quod ostenditur de Diodoro Tarsensi §. 3. Hunc libri illius auctorem esse por-

(a) Si quis virorum eruditorum de hujus libri auctore sententias scire desiderat, is illas simul curate collectas inveniet in *Wilhelmi Ernesti Tentzelii Exercitt. selectis pag. 187, 188, 189. & deinde p. 436. sqq.* Adde illis *Ern. Grabium, in Spicilegio Patrum Sæculi II. p. 164. J. A. Fabricium, in Bibl. Gr. L. V. p. 58.* Interpolatas illas judicat *L. Allatius in L.*

porro probatur ex formula, qua utitur, qua de Christo homine loquens eum *τον δεσποτην χειρον*, Christi autem Dei & hominis mentionem faciens eum *τον κυριον χειρον* appellat, qua phrasi tum utebantur Nestorianismo faventes, in cujus suspicionem & hic Diodorus venit §. 4, 5. An sit foetus Theodoreti? Diodori stylus §. 6. Hunc esse adducti libri autorem ostenditur porro, quod uterque fuerit monachus, & synusiastarum adversarius, & sphaeram damnavit, Matrem domini non appellavit Θεοτοκον. An hujus scripti meminerit Suidas §. 7. A Basilio indicatum videtur §. 8. Conclusio §. 9.

§. I. Cum

L. de libris ecclesiasticis Græcorum p. m. 186. Johannem *Harduinum* non moror, qui præter Dialogum cum Tryphone Judæo, nihil nobis genuinorum Justinii Martyris scriptorum restare putat. Verum omnium optime rationes, propter quas S. Justino tribui nequeant, velut *εν εμπορευ* exhibuit Joh. *Dalleus* in L. de Confirm. L. II. c. 12. cujus verba adscribere non pigebit: *Hujus, inquit, operis, intelligit autem librum, de quo heic agitur, auctor Irenæum & Originem laudat, utrumque Justino, ut notum est Juniolem. Manichæorum meminit, quorum parens a. D. 261. primum emerfit, ascetas & monachos memorat, ab Antonio exortos, qui a. D. 358. est denatus, de anachoretis agit, eosque ανδρας απραους vocat; sic loquitur velut everfo suis temporibus Paganismo, imo hunc a Christianismo debellatum asserit, quod nonnisi sub Christianis Augustis vere dicit potuit; & alia multa habet, que hominem produnt, nonnisi quarto, quintove seculo vixisse. Quomodo autem cunque res se habet, id certum, multum in eo libro esse bonæ frugis, ac dignum omnino, qui separatim Docti Viri lucubrationibus illuminatus consmittatur publico. T. d. H.*

Cum tu, haud ita pridem, Vir Doctissime, iudicium meum desideraveris in fine elegantissimæ Dissertationis tuæ (b) de *Telesticis Imaginibus que Apollonio Tyaneo tribuuntur*, æquum forte fuerat ut publice rogatus, palam etiam profiterer nihil a te ibi dictum esse, quod non approbatione modo mea, verum etiam laudibus dignum esse censerem. Atque id eo minus necessarium tunc arbitrabar, quod tam idoneis argumentis opiniones tuas asseri viderem & vindicari, ut nihil omnino qualicumque laudationis meæ accessione illarum evidentiam additum iri existimarem. Postquam autem agnovi in erudita scripti illius tui contra Cl. Wæchtlerum defensione (c) aliquid esse, levissimum tamen, in quo a te dissentiam, ea ipsa dissensus mei occasione uti statui, ut & tecum tantisper *συμφιλολογῆν* possim, & publice profiteri, quanti te faciam. Ut vero me sententiæ tuæ iudice uti voluisti, ita nunc vicissim cupio, ut tu de meis iudicium feras: licet enim longa temporis intercapedine natales nostri ab invicem discedant, tam multum tribuo eruditioni tuæ, meæque tam parum, ut ætatis utrius.

(b) Exstat ea Bibliothecæ hujus Cl. III. fasc. I. pag. I. sqq.

(c) Vide Cl. V. fasc. II, p. 206. sqq.

utriusque nostrum hic facile obliviscar. (d)
 πολλὸς δὲ νοῦς ἐν ἀσκήσει λόγων αἰδέσιμον ποιεῖ τὴν
 νεότητά.

II. Miraberis forte, quænam sit illa quæ-
 stio, in qua a te dissentiam, cum satis adhuc
 pronus fuerim ad probandas opiniones omnes
 illas, quas variis in Dissertationibus orbi litte-
 rato perpendendas erudite proposuisti. Rem
 levissimam esse modo dixi, ideoque hic de-
 fendendam, ut extaret publicum aliquod
 amoris in te mei monumentum. Quominus
 graviter feres, si sententiam meam forte acrius
 vindicavero, quæ tibi prima fronte *περὶ
 κινδυνευμένη* & Paradoxa videbitur.

Anno superiore in scripto quodam Gallice
 edito pollicitus eram me aliquando demon-
 straturum Scriptorem *Quæstionum ad Orthodo-
 xos*, quæ inter Opera Justini Martyris edi so-
 lent, DIODORUM esse TARSENSEM Epi-
 scopum, quem sub finem quarti sæculi deces-
 sisse eruditi norunt. Jam intelligis, quam
 in re versetur dissensus noster: sive enim
 hæc a me pridem scripta non legeris, sive
 tanquam idoneis argumentis destituta negle-
 xeris, in Apologetico tuo ad Cl. Wæchtle-
 rum te illius auctoris ætatem nescire dixisti,
 (p. 249.) certo tamen nosse Isidoro Pelusiensi
 esse recentiore.

III. Ut primum de ætate loquar, vixit hæ-
 rum *Quæstionum* auctor, antequam pro ra-

Cl. V. Fasc. IV. Uu. tione

(d) Joann. Philoponus in Proœmio libri *περὶ κοσμογ-
 ποιίας*.

tione Chronologica Græcorum sex annorum millia a Creatione Mundi effluxissent, qui anni si probatissimum apud eos calculum sequamur ad CCCCXCII. a Christo nato annum sunt referendi: numerare enim solent ad Christi nativitatem annos Ιοο Ιο VIII. Sic autem auctor Quæstionum, Responsione ad Quæst. LXXI, *ἐνεστὶ διὰ πολλῶν γεωφικῶν Φωνῶν τεκμηριόθαι ἀληθεύειν τοὺς λέγοντας ἑξακισχίλια ἔτη εἶναι τὸν χρόνον τῆς παρεύσης τῆ κοσμοσυστάσεως.* *Ex multis sacrarum litterarum testimoniis conjicere licet sex millibus annorum duraturam presentem mundi constitutionem.* Qui sic loquitur, is profecto satis diu vixisse censendus est ante annum Christi CCCCXCII. alioquin opportuno loco de vicino mundi fine aliquid subjecisset. Attamen ne sic quidem clare eum valde antiquiorem esse probatur Isidoro Pelusiensi, quem ex ejus Epistolis ad Cyrillum Alexandrinum, anno Christi CCCCXXXI. Ephesini Concilii tempore floruisse novimus. Quærendus est ergo nobis character alter Chronologicus, quo scriptorem Quæstionum Isidoro vetustiorē esse demonstrēmus. Eum mihi invenisse videor in verbis Responsionis ad Quæstionem LXXIV. ubi cruciatuum meminit nuper contra Christianos ab Ethnicismo adhibitum ad instaurandum pristinum Idolorum cultum, καὶ τῆς παλαιᾶς αὐτοῦ δυναστείας τὴν ἀνάσθησιν. *Ipsi cruciatus, inquit, quibus nuper Gen-*

tilis superstitio usa est, per ipsos sperans fore ut se integram servaret, Paganismo finem imposuere, Christianismumque stabiliorem effecerunt, ἀλλ' αἱ Βασιανοὶ αὐταὶ, αἷς καὶ πρώην χρησάμεν. ὁ Ἑλληνισμὸς, προσδοκῆσθαι δ' αὐτῶν ἄλυτον φυλάττειν ἑαυτὸν, τὸν μὲν Ἑλληνισμὸν κατέπαυσαν, τὸν δὲ χριστιανισμὸν ἔστησαν παλαιότερον. Quæ quidem verba ad Juliani Apostatae Imperium & vim ab eo contra Christianos adhibitam aut spectare debent, aut, quod nec tu, nec quisquam alius dixerit, temere & imprudenter ab auctore prolata censerit. Diodorum vero tunc vixisse novimus cum ex aliis argumentis, tum ex Epistola Juliani Imperatoris scripta ad Photinum Hæresiarcham, quam refert Facundus Hermianensis in Defensione Trium Capitulorum, Libro Quarto, pag. 163. editionis Sirmundi. Id nunc mihi observasse sufficiat mox de Diodoro ipso plura alia allaturo.

IV. Cum invalescerent post medium sæculi quarti impiæ Apolinarii sententiæ, qui Christum carnem humanam animatam quidem, sed ἄνουν assumpsisse docebat, affirmabatque præterea unam tantummodo fuisse Verbi Incarnati naturam, plures ubique terrarum Doctores & Episcopi nefariis opinionibus obviam eundum esse judicarunt. Ut Athanasium, Basilium, & Gregorium Nazianzenum taceam, luculenter refutata est pessima hæc Apolinarii hæresis, Arianismi tradux,

a Gregorio Nyffeno, ejus elegantem & eruditam Disputationem ex Manuscripto Vaticano edidit ZACAGNIUS, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, in *Collectaneis Monumentorum veterum Ecclesiæ Græcæ & Latine*. Nemo tamen in eam hæresim vehementius insurrexit, quam discipuli Diodori Tarsensis, ipseque Diodorus, cujus extabant olim Disputationes contra Synusistas, quarum ob invidiam perperam subsequenti sæculo factam viro bono & simplici, quem Nestorianismi primum auctorem Monophysitæ & quidam alii appellant, ne vestigium quidem aut vola hodie superesse putantur. Nimirum Diodorus ipse, & discipulus ejus Theodorus Mopsuestenus, quos etiam Theodoretus imitatus est, in explicanda Domini nostri Jesu Christi Incarnatione, ne unitatem naturæ inducere viderentur, sedulo, vel etiam, si quibusdam fides habenda est, plusquam par erat, utramque Christi naturam distinguebant; ut si quando de Christo ut homine & infirmitatibus humanis obnoxio loquerentur, eum perpetuo τὸν δεσπότην χριστὸν nuncuparent; ubi vero de Christo ut Deo & homine mentio injicienda erat, eum appellarent τὸν κύριον Ἰησοῦν, vel τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν χριστὸν. Id ego primus omnium accurata observatione deprehendi in scriptis omnium eorum Patrum quarti & quinti Sæculi, quorum scripta ætatem tulerunt. Itaque quancumque hæc formula

ὁ δεσπότης χριστός in Homiliis Chrysofomi no-
 men præferentibus mihi observata est, toties
 aliis criteriis deprehendere licuit, eas Sanctissi-
 mi illius Patris nomen falso præferre, quod &
 sæpius ab aliis vi eorundem criteriorum ante
 me demonstratum est. Etsi enim in eadem
 fere disciplina ac superiores Chrysofomus
 adoleverit, Diodori nempe amicus & discipu-
 lus, nunquam tamen, quod quidem obser-
 vare potuerim, eo loquendi genere usus esse
 videtur. Nunc velim evolvas scripta Theo-
 doreti, & paucula illa fragmenta Diodori
 & Theodori Mopsuesteni, quæ in Catenis
 Patrum & alibi supersunt, nisi frequentem il-
 lius locutionis usum ibi inveneris, nihil inter-
 cedam, quin me causa cecidisse statim profi-
 tear. Præterea consule Eutherii, Tyanorum
 Episcopi Sermones a Joanne Garnerio editos
 in Auctario Operum Theodoreti: ibi eandem
 formulam invenies ex eadem disciplina,
 quemadmodum & in Nestorii ipsius fragmen-
 tis in Actis Concilii Ephesini, & apud Marium
 Mercatorem a Garnerio editum. Uno verbo
 hac una observatione Diodori Tarsensis disci-
 pulos agnosces, & eos qui post Synodum
 Ephesinam invidioso Nestorianorum nomine
 traducti sunt.

V. Sic Cosmas ille Indico-Pleustes, certis-
 simus Nestorianus [quod mirarer Doctissi-
 mo Editori Monfauconio latuisse, nisi scirem
 has hæreses jam vix agnosci, postquam ea

odia, quæ ferme una ipsis originem dedere, deferbuerunt] Tom: 2. Collect. Novæ Patrum, ubique & singulis fere paginis, quotiescunque de Christo homine agit, nihil aliud crepat, quam τὸν δεσπότην χριστόν. Ita nullius unquam Nestoriani scripta aut fragmenta leges, quin si quis locus id tulerit, in eam statim formulam incidas. An vero, inquires, nemo antiquorum eo loquendi genere præter Nestorianos & Diodori discipulos usus est? Nemo quidem prisca illa ætate, quarto nimirum, quinto &, quantum quidem mihi constat, sexto sæculo. Posteriori vero ævo alii ex eorum genere, quos orthodoxos vulgo vocare solemus, τὸν δεσπότην χριστόν dixerunt, ut passim recentiores Græci, & Nestarius ipse Patriarcha Jerosolymitanus, ætatis nostræ scriptor, in ἀντιρήσει contra Latinos. Quin etiam Joannes Philoponus Philosophus insignis, Monophysitarum opinionibus addictus, scriptor sæculi septimi, si quidem Alexandria a Mahumedanis expugnatae interfuit, in libro περὶ κοσμοποιίας, quem contra Theodorum Mopsuestenum potissimum scripsit, hoc epitheto Dominum nostrum Jesum Christum frequenter insignire solet. Diceres eum id loquendi genus ex Theodori scriptis hausisse, nisi etiam eodem, in Disputatione de Paschate uteretur. Nimirum homo sat remotus ab initio rixarum ignorabat, cui fuisset usui hæc locutio apud Nestorianos,

alias

alias innoxia, & quam neminem ne Heterodoxum quidem ipsis objicere ausum esse docet Theodoretus Epistola CXLVI. Tom. 3. p. 103. Etenim, inquit, nec isti, qui unam carnis Divinitatisque naturam perverse nunc Ecclesiasticis dogmatibus inserunt Christum Dominum laudari vetant.

Ἀλλὰ γὰρ οὐδὲ οἱ τὴν μίαν φύσιν σαρκὸς καὶ θεότη-
τος τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς νῦν κακῶς κατασπείροντες
δόγμασιν, ἀπηγόρευσαν τὸν ΔΕΣΠΟΤΗΝ ὑμνεῖσθαι
ΧΡΙΣΤΟΝ.

VI. Hinc facile intelligi potest, cur Fridericus Sylburgius initio notarum ad Quæstiones ad Orthodoxos, in suspicionem quandam adductus esse videatur hunc librum Theodoretō esse tribuendum, in primis, ut alibi notavit ob frequentem usum illius epitheti. Sed enim ea quæ superius dicta sunt de Juliani Apostatæ temporibus non patiuntur ut hunc librum Theodoretī foetum esse sentiamus, cum alias rationes styli plane diversæ sint, longeque major sit orationis elegantia apud Theodoretum, quam apud hunc auctorem, qui nihil fere ornati habet, & simplici genere scribendi perpetuo utitur, affini, si quid sentio, illi, quem exhibent Diodori fragmenta quædam ab ipso Theodoretō (e) relata in Quæstionibus ad Vetus Testamentum.

VII. Porro alia argumenta supersunt, de

U u 4

qui-

(e) V. Opera Theodoretī Tom. I. Quæst. in Genesim, pag. 19. & in I. Regum pag. 233'

quibus velim, ut & de superioribus, nihil gratiæ & amicitia dando iudicium feras. Monachum fuisse Diodorum antequam Episcopus Tarsensis a Meletio Antiocheno Patriarcha ordinaretur, Anno Christi CCCLXXV. ex Theodori Lectoris scriptis docet Suidas: eisdem vitæ generi se addictum fuisse innuit Quæstionum auctor, Quæstione XXI. Quæ res etiam si & Theodoreto congruat, qui idem vitæ genus ante Episcopatum amplexus erat, non potest tamen conciliari cum iis, quæ de utriusque ætate & stylo modo observata sunt. Synusiasis infensus fuit Diodorus, qui & eorum errores scriptis contra eos Disputationibus refutavit; eosdem tangit & damnat non uno loco Quæstionum auctor, Quæstione præcipue centesima quinta, quæ tota contra eos est, qui Christum Dominum negare audebant esse ejusdem nobiscum naturæ, *οἱ πλωμοῖσι λέγειν [τὸν δεσπότην χριστὸν] μὴ ὑπάρχειν τῆς ἡμετέρας φύσεως.* Cod. CCXXIII. p. 667. Sphaeram damnavit Diodorus apud Photium, ut sacra scripturæ contrariam, quem secuti sunt, iisdem argumentis usi, Theodorus Mopsuestenus, & Cosmas Indico-Pleustes: eadem est auctoris Quæstionum opinio, Quæstionibus LIX. & CXXX. ubi eas ipsas sententias habet, quæ a Joanne Philopono, contra Theodorum Mopsuestenum disputante compluribus argumentis etiam e Sacra Scriptura ductis falsi sunt convictæ. Abhorrebant ante
Ne-

idem illud scriptum esse, cujus cum alio quodam ad se a Diodoro missi meminit Basilus Magnus Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus, cujus verba subjiciam ex Epistola CLXVII. ad Diodorum Oper. Tom. 2. p. 951. Ἐνέτυχον τοῖς ἀποσκαλείσι βιβλίαις παρὰ τῆς πριμότητός σου καὶ τῷ μὲν δευτέρῳ ὑπερήθην, οὐ διὰ τὴν βραχύτητα μόνον, ὡς εἰκὸς ἦν τὸν ἀργῶς πρὸς πάντα καὶ ἀσθενῶς λοιπὸν διακείμενον, ἀλλ' ὅτι πυκνὸν τε ἅμα ἐστὶ τὰς ἐννοίας, καὶ ἔυκτανῶς ἐν αὐτῷ ἔχουσιν αἱ τε ἀντιθέσεις τῶν ὑπεναντιῶν καὶ τὸ τῆς λέξεως ἀπλοῖν καὶ ἀκατάσκευον, πρέπον ἔδοξέ μοι προσθέσει χριστιανῶ, οὐ πρὸς ἐπίδειξιν μάλλον ἢ κοινὴν ὠφέλειαν γράφοντος. Haud puto graviter ferēs si Græcorum Basilii versionem Facundi Hermianensis hic adscripsero, barbaram quidem, sed antiquitate sua venerabilem. Ita ille Lib. IV. pag. 152. & 153. *Legi libros a tua honorabilitate transmissos, & secundo quidem admodum insiti, non solum propter brevitatem, ut pote qui sim circa omnia debilis, sed etiam, quia variatur sententiis, & facile eo discernuntur e contrario oppositiones, & ad eam responsiones; & est oratio simplex & sine ullo sermonis coturno, quod convenire mihi visum est Christiano stylo, non ad ostentationem, sed ad utilitatem hominum conscribentis. Vides hic omnia convenire, oppositiones & responsiones, simplicitatem orationis, brevitatemque, quæ dotes in Diodori scripto a Basilio Magno commendatæ ita hic eminent, ut Quæstiones ipsæ ad Orthodoxos hic significari videantur.* IX.

IX. Pauca quædam alia mihi supererant addenda de Diodoro, quem plurimi factum ab Athanasio, Epiphanio, Meletio, Basilio, Joanne Chryostomo & pluribus aliis, dolendum est post notam eia Cyrillo in Epistola prima ad Succensum impressam, male apud posteros audivisse, oblitterata fere ejus scriptorum memoria, aliis etiam nominibus præfixis iis operibus, quæ invito adversariorum ejus odio ad nostram usque ætatem pervenerunt. Alia enim superesse novi, de quibus alibi forsitan acturus sum, si hæc tibi & eruditis non omnino improbari intellexero.

Vale. Dabam Berolini, Pridie Nonas Decembr. A. C.
MDCCLXXI.

Jo. Georgii *ALTMANNI*

ad locum Act. XVI: 14.

De

LYDIA THYATIRENSI

observationes.

ARGUMENTUM.

Scripti occasio. §. 1. Lydiæ nomen fuit proprium. *Lydiæ* plures & *Lydi* quidem dicti §. 2. Thyatyr's tinctura purpuræ erat frequens. Βαφεις dicebantur κατ' ἐξοχην purpuræ tinctores. Illustratur inscriptio apud Sponium §. 3. *Purpurarii* dicti, non solum purpuræ tinctores, sed & venditores §. 4. Lydia cur dicitur σεβομενη τον Θεου. In oppositione ad superstitiones Thyatirensium. Deus *Tyrinnus*. Deus *Falaeris* & *Peninus*. §. 5. Alia Thyatirensium σεβασματα. §. 7.

§. I.

CUm eruditam Viri Cl. Jo. Christiani BIELII de Lydia Purpuræ venditrice (a) dissertationem haud ita pridem legissem, quædam mihi incidabant, quibus non tam eruditi

Vi-

(a) Vide hujus Bibliothecæ Cl. II. fasc. III. p. 409. sqq. Sed

Viri ad Lucælocum asserta convellere, quam
ejus dissertationi mantissam aliquam subjun-
gere subiit cogitatio, quod vero a me nun-
quam esset tentatum, nisi eruditissimos viros
hac in re præeuntes haberem, qui aliorum
dissertationibus non infrequenter suas cogi-
tationes adjungere consueverant, hinc & ego
jejunum hocce meum Spicilegium eruditis le-
ctoribus expono, in quo si doctus non sum,
brevis sum.

II. Mulier, de qua in actis sermo est, LY-
DIA dicitur, hoc est secundum Camerarium
& Grotium, & post hos ad mentem Bielli ex
Lydia oriunda, sed huic sententiæ, magno-
rum virorum pace subscribere non possum,
variis in adversam partem, motus argumen-
tis; Primo quidem non video, quare scriptor
sacer, si Lydiæ nomen appellativum, non
proprium esse voluisset, Thyatiram patriam
ejus nominasset, dum enim ex Thyatira ori-
unda dicitur, (aa) jam Lydia, h. e. ex Lydia
ori-

Sed cum his conferri omnino merentur, quæ a Fratre
meo JACOBO, τῷ μακροῦν ad eandem hanc
illustrandam materiam notata sunt Cl. III. fasc. III.
Sect. 4. §. 8. sqq. quæ doctissimi auctoris sententiam
confirmant egregie. T. d. H.

(aa) Quamquam de hoc ipso dubitari posset. Neque
enim evictum prorsus est Lydiæ urbem fuisse Thyati-
ram. Tametsi enim a nonnullis Ptolemæo, Stephe-
no, & in notitia Episcopatum in Lydia collocatur,
quod fortassis factum inde, quia Pergamenorum,
qui a Xenophonte & Aristotele Lydis aggregantur,
juris-

oriunda dicitur, sed aliquem adhuc locum habere posset eorum sententia, qui nomen Lydiæ gentilitium faciunt, si Thyatira abjectum aut ignobile Lydiæ oppidum fuisset, sed plane contrarium ex antiquis Geographis colligimus, fuit enim teste Ptolomæo Lib. V. cap. 2. Metropolis Lydiæ. Sic & magnifica quæque de ea habet Stephanus Byzant, de urbibus & Cellarius in Geograph. antiq. Tom. 2: p. 129. ad quos Lectorem remittimus. Alterum vero argumentum, quo nomen Lydiæ proprium esse credam, mihi ex antiquis accedit Græcorum Latinorumque cognomentis, sic enim antiqua inscriptio apud Gruterum p. DCCCCXVII. 12.

LYDIÆ SECUNDISSIMÆ
 QUÆ VIXIT. ANN. XVI.
 SIT TIBI TERRA LEVIS.

Lydiæ nomen etiam occurrit apud Horatium & Sueton. De illustrib. grammaticis, cap. XI. scripsit, inquit, *Valerius Cato præter libellos grammaticos, etiam poëmata, ex quibus præcipue probantur Lydia & Diana, Lydiæ Ticius meminit.*

Lydia doctorum maxima cura liber.

Sic opinor satis demonstratur Lydiæ nomen

jurisdictioni fuere subiecti, Plinius tamen L. V. c. 30. eam inter Joniæ urbes numerat, & Strabo L. XIII. p. 625. hanc urbem appellat τῶν Μουσῶν ἐγκατῆν.
 T. d. H.

men inusitatum non fuisse, illudque non magis gentilitium esse ubique quam nomen Lydi, quod proprium non appellativum est Tacito. Annal. Lib. V. 55. *Sardiniani decretum Etruria recitavere, ut consanguinei, nam Tyrrhenum Lydumque Atye rege genitos ob multitudinem divisisse gentem, Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrhunodatum, novas ut conderet sedes.* Ad quæ verba Liphius meas partes facit, quem vero exscribere volo.

III. Cum vero Cl. Bielius supposuisset, Lydiae nomen esse gentis, ut nunc contrarium probatum est, ei exinde alius error, quod pace Viri Docti dixerim, natus est, purpuræ scil. fingendæ ars Lydis in genere adscripta, cum melius & commodius, ne dicam ad Lucae locum explicandum aptius Thyatiræ urbis incolis in hoc loco tantum tribui potuisset, ut me id antiqua inscriptio apud Sponium, in Miscell. Erud. Antiquit. Sect. III. 93. docet, quæ in ipsa urbe Thyatira, quæ hodie Ac-Kissar dicitur, eruta & a Sponio descripta est, ex qua, cum prolixior sit, ea tantum, quæ ad rem nostram facere videntur, dabimus.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ & Σ. ΙΕΡΕΥΣ (b) ΤΟΥ ΠΡΟΠΑΤΟΡΟΣ
ΘΕΟΥ ΤΥΡΥΜΝΟΥ ΟΙ ΒΑΦΕΙΣ

In hac inscriptione

(b) G. Whelerus, in itinerario suo loco τῆ προπατορῆς legendum vult τῆ προπολεως τῆ τυρρυμνῆς, i. e. Tyrinni, qui in ingressu Portæ colebatur, uti & aliam adducit ἐπιγραφὴν, in qua diserte ita legitur. T, d. H.

ptione ego cum Sponio per βαφεις nihil aliud, quam purpurarios intelligo, soli enim purpuræ tinctorum celebres & incliti erant, & in ea præsertim regione & urbe magna exercebatur purpuræ mercatura, ob frequentes, quæ circa totum mare Aeolicum extabant officinas purpurarias, nec memini, ulla in regione gregarios tinctorum aliquod sui monumentum reliquisse, sed hi ob purpuræ raritatem & caritatem, inter homines insignes & divites memorabantur, prisco enim tempore idem argenti & purpuræ pretium erat. Athen. Deipnos. Lib. XII. p. 526. Θεοπομπος δ' εν πενδεκαδεκάτω ιστοριών, χιλίας φησιν, άνδρας αυτών αλκρυγεις φεροντας στολας, ασυπολειν, οδεν και βασιλευσι σπανιον τότε ην δε περισπιδασον, ισπασθηται ην η προφύρα, προς αργυριον εξεταξομενη. Theopompus, Libro decimo quinto historiarum scribit ejus oppidi (de Colophone loquitur) mille cives intra mœnia obambulasse, indutos purpurea stola, quod indumentum eo tempore rarum fuit, etiam apud reges, & estimationis maximæ, ac tanquam inclytum summopere affectatum; par namque purpuræ argenti pondus rependebatur. Videmus ergo ex his quare hocce tinctorum collegium nomine communi bonæ fortunæ hoc insigne monumentum posuerit, fortunam enim Deam non minus in arte, quam Mercatura collegii sui habebant Præsidem, notum est etiam variis vitæ generibus fortunam apud veteres præfuisse. Communis etiam Collegii

gius mos erat, publica monumenta totius Collegii nomine dedicandi, ut exempla plurima Reinesius, Gruterus, Sponius, aliique passim exhibent.

IV. Conjicio etiam ex his Lydiam mulierem fuisse divitem, quæ vero spreto mundi commodo, Christianorum sese aggregavit cœtui, atque relicta miserrima conterraneorum superstitione, ad viventis Dei sese recepit Ecclesiam. Sed porro observandum contra quosdam commentatores, diversos fuisse purpurarios, à purpuræ mercatoribus, & βαφεισ Latinis recepta voce dicitur Purpurarius. Gruter. p. DCXLIX. 9.

VIVONT

A. SEMPRONIO

GALLÆCI. L. LÆTO

PURPURARIO

ET. SEMPRONIÆ. MODESTÆ.

UXORI.

Apertum vero est Latinorum purpurarios nomen suum ex Græcis πορφυρεῖσι tum accepisse, hinc hæ voces eandem etiam retinent significationem, est vero purpurarius is, qui officinam tingendæ purpuræ habet, ut videmus ex Luciano. πορφύρεος ἑαυτὸν, τοῖς πορφυρεῖσι συγκαταπέδευτο Locans operam suam purpurariis, cum iis urinabatur. Artem autem tingen-

da purpuræ Lydia non exercebat, (c) sed negotiabatur ad mercaturam jam paratâ purpurâ, & exinde lucrum faciens. Videmus ergo quod non opus sit de purpuræ apud Lydos usu & officinis extra Thyatiram passim extantibus excurrere, imo hæc omnia a modernis Philologis jam sunt occupata, amplius enim illa de re & ut solet, eruditus Cl. Salmafius est in Exercit. Plin. p. m. 193. 806. 817. &c. imo Plinius ipse Lib. IX. cap. 36.

V. Sed siceo pede prætereunda mihi non videntur verba Lucæ σεβομένη τὸν θεόν, quæ verba contradistincte ad Lydiæ conterraneos, omnium Asiæ incolarum supersticiosissimos mihi intelligenda videntur; Thyatirenses tales fuisse, satis evincunt veterum testimonia, & id maxime probat hæc quam attulimus inscriptio, quæ Bonæ Fortunæ, & Dei Tyrimni præ se nomen fert; Quæ Dea Fortuna fuerit, nolo discutere, nota est ea sæpiusque apud Antiquarios & Mythologos passim occurrit, sed quis Deus TYRIMNUS, à nemine, quod sciam hæctenus enodatum. Is originem non Latinis, non Græcis, sed Judæis debere videtur; Tyrimnus vero mihi nihil aliud est, quam עם טיר sive עם טיר cum arce ipsa h, e. Deus sive Præses arcis, vel propugnator arcis, & nulla latet difficultas ad vocem ex Hebraismo ad Græcismum transferendam

opor.
(c) At vide, quæ in hanc rem citato loco adduxit Frater meus.

oportet enim sola accedat & Græcis usitata
 paragoge, adjectione syllabæ finalis os, sic que,
 integer prostabit *Τύριμν* Θ. Tales Deos tute-
 lares arcium in finibus præsertim regnorum
 multos habebant, tale numen fuit Deus Pen-
 ninus, ex Hebr. *פנ* dictus, nec non Deus
 Falacris, de quo Turnebus aduersar. Lib. VI.
 cap. 5. Fuitque nil aliud, quam Deus tutela-
 ris, promontorii satis famosi Siciliani, quod
 in Turnebo observandum. Tale numen tu-
 telare arcis apud Thyatirenses fuit Deus Tyrim-
 nus, quod magis confirmatur ex verbis Cl. van
 Dale in dissertationib. ad marmora antiqua p.
 306. ubi hæc: *stetit autem testante Smithio hoc
 monumentum Dei Tyrimni ab ingressu portarum ad
 arcem, hinc puto eum eundem esse, qui fuit Ἐρμῆς
 ἐρὸφαι Θ. vel προφυλαί Θ., quamvero senten-
 tiam, ut satis incertam examinare nolo.*

VI. De reliquis vero Thyatirorum *σεβασ-
 μασι* (d) erudita differit Holstenius in notis

Xx 2 ad

(d) Inter alia Dianæ, uti per omnem Asiã, ita &
 apud Thyatirenos erat frequens cultus. Patet hoc
 ex inscriptionibus, quas in hoc loco se reperisse te-
 statur Thomas Smithus in septem eccl. Asiæ notitia
 p. 126. *ΑΡΤΕΜΙΔΙ - - - ΟΡΕΙΤ.* ut & alia quæ &
 in G. Wheleri itinerario legitur p. 218. in qua me-
 morant *την Ουλπιαν Μαρχελλαν ΤΗΝ ΙΕΡΕΑΝ
 ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ, ἐπιπελοισαν τα της Θεῆς
 μυστηρια καὶ τας ἱστίας λαμπρως καὶ πολυδα-
 ναπως.* Id pariter ex eorum nummis constat, in
 quo-

ad Steph. Byzant. p. 139. De Thyatirorum ur-
 be multa reperi in nummis, & primo quidem apud
 Golzium, in Neronis nummo ΘΥΑΤΕΙΡΩΝ. Tri-
 stanus quoque Commodi affert nummum, Tom. I,
 p. 741. in quo sub Vulcano arma fabricante adstan-
 te Pallade ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. Deinde in Gazo-
 phylacio Serenissimi magni ducis, in quo etiam cir-
 cumfiguram recubantem, quæ arborem dextra te-
 net, & ante pedes habet bovem ΕΠΙ ΣΤΡ. ΜΑΡ.
 ΚΟΥ. ΑΥΡΗ. ΒΑΡΒΑΡ. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. In
 ejusdem aversa parte legitur ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ,
 Apud Francif. Gotbfredum vidi nummum, in cujus
 una parte circa Romam sedentem, cum victoriola,
 in altera caput muliebre ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ in alio
 apud eundem Gotifredum, circum caput Jovis Capi-
 tolini ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. in ejusdem averso latere
 circum caput serpentis spiris involutum ΕΠΙ ΜΟΣ-
 ΧΙΑΝΣ. ΘΥΑΤ. &c. Ex his jam manifestum
 fiet Nomen Lydiae proprium fuisse, cum fa-
 cilis sub nomine proprio, quam gentilitio
 apud Philippenses innotescere potuerit. Sic-
 que etiam explanatum erit, quæ Lydia fuerit,
 quare Epitheton de mercatura purpuræ adje-

Etum

quorum uno apud Patinum in Imp. Rom. æn. Num.
 p. 334. cernitur Diana venatrix, & alio apud Har-
 duinum in Numm. ant. urb. p. 70. & Holstenium ex
 Thesauro Mediceo Dianæ caput cum epigraphæ
 ΔΟΡΕΙΣΗΝΗ vel ΒΟΡΕΙΣΗΝΗ. Apud eundem
 Harduinum Apollinem, Minervam, Vulcanum in ho-
 rum Numismatibus passim offendes, Aesculapii
 quondam templo famosum fuisse Thyatiram testatur D.
 Hieronymus T. d. H.

Etum sit; Et cur tandem mulier hæc præ aliis
 contradistincte *οὐβουμένη τὸν Θεὸν* apud scri-
 ptorem sacrum laudata fuerit. Hæc vero di-
 cta ad hunc locum sufficiant, cum reliqua
 omnia à Viris Clarissimis occu-
 pata sint.



II.

JO. GEORGII MI-
 CHAELIS

Dissertatio
 de

*Precibus Cornelii in memo-
 riam Dei adscendentibus, ad illustra-
 tionem loci Act. X. 4.*

S U M M A R I U M,

- §. 1. Ipsa scripturæ verba a Spiritu S. profecta esse, quæ
 magnitudini rerum accurate respondeant. §. 2.
 Non respici hic ad suffitum sacrum Ebræis *אזכרה*
 ab Alexandrinis *μνημοσυρον* dictum §. 3. Sed phra-
 sin petitam esse ex antiquæ Synagogæ usu. §. 4.
 Memoriam sensu proprio Deo adscribi non posse
 §. 5. quid Deo attributa ex usu scripturæ significet?
 §. 6. Hoc in loco intelligendam esse impletionem

promissionum divinarum gentilibus factarum, idque per Christum Jesum, qui memoria Dei dici potest.

S. I.

EA est sacrarum litterarum divinitas, ut non solum res verbis significatae, verum etiam voces ac verborum nexus & συναφεια Spiritum S. auctorem referant evidentissime. Cum enim in illis manifestata sit σοφια Θεου εν μυστειω, η αποκρυμμενη 1. Cor. II. rationi humanae minus pervia, eas dictiones ac loquendi modos viri divini selegisse sunt censendi, qui significantissimi ac menti Spiritus S. exprimendae aptissimi videbantur. Quare improbamus maxime audaculorum Criticorum studium, qui eodem fere, quo in profanos auctores sensu adfecti, quae perperam sibi posita videntur, ausu temerario delent, interpungunt, transponunt, ac maximo proh dolor! rei Christianae detrimento, talem ex scripturis sensum elicere satagunt, quem animo suo dudum praecerant. Bene se habet, quod Hierocles, praclarum inter Pythagoræos nomen, sapienter admonet? φιλολογιαν ασκησομεν μετα κλεισις της αεισης, ινα η, μεν Φιλια ελκη το γενος των λογων, η δε κλεισις απωθηται τον χειρονα. Sed vero scripturae sacrae caste admodum ac reverenter sunt tractandae, ut composita in Deum pie-

pietate, precibus ad ipsum, sapientiae omnis fontem, directis, beneficio linguarum, aliarumque disciplinarum, quae sapientiae caelestis usui esse possunt, ex iis quae circumstant, ac passim per codicem sacrum sunt dispersa, ea eruamus, quae vel ad nostri salutem, vel communem ecclesiae utilitatem ac cognitionis salutaris incrementum facere possunt. Illud quoque observasse juvat, quotienscunque Deus res novas in ecclesia est molitus, talibus operibus se illustrem praebuit, eaque dicendi forma ac majestate res integra fuit descripta, ut caelestis sapientiae studiosi ad contemplationem & circumspectam considerationem vel inviti rapiantur. Quorsum haut injuria referri possunt verba ad Cornelium ab angelo enuntiata: *αι προσευχαι σου, και αι ελεημοσυνηαι σου ανεβησαν εις μνημοσυνον ενωπιον του Θεου* Act. X. 4. Quae, & quod ad συναφειαν suam & sensum verbis intentum defixam & attentam considerationem merentur, cui has pagellas in praesentia destinavimus.

II. *Hugo Grotius*, vir non minus doctrina, quam dignitate illustris, ex similitudine phraeos existimat, adludi ad suffitum, qui Lev. II. 2. *אזכרה* dicitur, quae vox ab interpretibus Alexandrinis *μνημοσυνον* vertitur. Suffitum autem esse Symbolum precum Apoc. V. 8. VIII. 3. Quod ipsum etiam olim Cel. Heidelbergensium Theologus *Paulus Tossanus* observavit, qui generatim quidem ad sacrificia V.

T. speciatim vero ad suffitus adolendos respici
 judicat. Quam in rem citat Lev. II. 2. Ps.
 CXLI. 2. Certum quidem est, hanc in antiqua
 ecclesia Judaica viguisse sententiam, suffitum
 precum esse Symbolum quod ex Ps. CXLI. 2.
 Mal. I. 11. colligere licet. Hoc etiam extra
 omnem dubitationis aleam est positum, voce
 אֲזַכְרֶה suffitum designare, cum vel ipsa ra-
 dix זָכַר ad hunc ipsum denotandum ad-
 hibeatur. Sic etiam Jer. LXVI. 3. 7.
 מִזְכִּיר לְבָנָה מְבָרַךְ אֶת
 שְׂהִיָּה לוֹ לִזְכֹּרֶת לְפָנַי אֲבֵן
 quia fuit eis μνημοσυνον co-
 ram Deo ratione sacrificii sui. Sacrificio jugi &
 matutino & vespertino suffitus addebatur,
 qui ex odoramentis suave olentibus adparatus
 in altari interiore, prope adytum constituto,
 igne ex altari holocaustorum desumpto, ac-
 census, fumo suo thronum gratiæ obtegebat
 ac odorem gratum quaouaversum spargebat.

III. Quæ licet certissimæ ac contestatæ
 omnino sint veritatis, dubitaverim tamen ma-
 xime, an hac ρησι Lucæ ad illa Lev. II. 2.
 verba digitus intendatur; non enim ita sunt
 concepta: μνημοσυνον των προσευχων σου, κη-
 ρων ελεημοσυνων σου ανεβη ενωπιον της Θεου. Quæ
 verborum junctura necessario heic loci obti-
 nere debet, si illa Grotii aliorumque inter-
 pretum sententia firma stat talo. Ut igitur,
 quod sentio, breviter ac succincte proponam,
 hæc

animo sedet opinio. Quod ad *rem* phrasi significatam spectat ad suffitus sacros optime adludi; sed vero, quod ad *phrasin* attinet, arbitror, eam ex antiquæ Synagogæ ulu ad scholam Christi & apostolorum transiisse. Sic Pontifex M. precibus, quas in sancto sanctorum, quod dicitur, die expiationis solemnī fundebat, hæc verba subjunxit: ולא תכנס לפניך תפילת עוברי דרכים
nec ingrediatur in conspectum tuum oratio eorum, qui iter faciunt; quorum interpretationem vide sis apud doctiss. Fagium ad Lev. XVI. 17. Hoc autem dicendi genus antiquæ ecclesiæ Judaicæ doctoribus haut insuetum fuisse, ex Chaldæorum interpretationibus lucidius apparet. Sic enim verba Mosis Gen. XXX. 22. ויזכור אלהים את רחל וישמע אליה אלהים ועל דוכרנא דרחל
Onkelosus convertit קדם ׀ *ingressa est memoria Rachelis coram Deo* ׀ *auribus accepit preces illius.* Ad eundem modum Jonathan verba Zeph. II: 7. reddidit: ארי יעול דכרנהון קדם ׀ אלההון
nam memoria illorum ingressa est coram Domino Deo illorum. Quare etiam Syrus eodem fere modo verba Lucæ reddidit: צלותך סלקי לדוכרנא קדם אלהא
solum loco verbi על, quod in Pehal intrare, vel ingredi Syris significat, voce סלק, quæ apud Chaldæos, & Syros proprie adscendendi significationem habet. Sed in eo nihil est difficultatis, adscendant preces ideo, ut ad Deum

ingrediantur. Similes locutiones apud interpretes Alexandrinos passim recurrere erudit: *Priceus* demonstratum dedit.

IV. Hæc de phrasi ipsa dicta sufficient. Rem quod spectat, phrasi significatam, observo, non posse proprie dici, quidquam venire in memoriam Dei; eo quod memoria, sive illa sit mere *corporea*, sive *spiritualis*, res, quæ quondam sensibus aut animo nostro fuerunt obversatæ, commoda occasione data, se nobis rursus sistit. Quoniam vero res omnes, quæ usquam sunt, fuerunt, vel etiam futuræ sunt, intellectui divino sunt præsentis, quas una, eademque individua cogitatione accuratissime, perfectissimeque, cognoscit ac profundissime scrutatur, oportet hoc divinis perfectionibus convenienter explicemus. Nam quod cogitationes nostræ fluxæ, nostrarumque perceptionum nullus necessarius nexus, quinimo propter varietatem rerum, quæ sensibus nostris se objiciunt, ad res alias atque alias considerandas adlicimur; sæpe numero accidit, ut cogitationes priores dilabantur. Quæ nec prius redeunt, nisi vel per res externas, vel etiam intimam mentis conscientiam denuo excitentur. Quod omne cum de Deo, qui est אל רעות, minus cogitari possit, eidem memoria proprie dicta nequaquam tribui potest.


V. Quam ob rem vox זכר, quotiescumque de Deo adhibetur significatur (∞) *continuationem gratiæ divine*, quæ nullo umquam tempore inter-

tercedit, quo sensu occurrit Jes. XLIX: 15. 16. Mal. III: 16. Ps. CV: 8. CIX: 14. qua ratione cum memoria, quæ rebus creatis propria est, optime convenit; quippe enim ea res præsentem solum spectat. Quare divinus psalter in rem nostram egregie admodum canit זכר לעולם בריתו דבר צורה ונו Ps. CV. 8. β) Dicitur Deus alicujus rei *recordari*, quotiescunque *promissa* ecclesiæ data, certo temporum articulo adstricta, *representat*, quod liquet ex Ps. CV: 42. CVI: 45. CXXXII: 1. CXXXVI: 32. Jer. XXXI: 20. Ezech. XVI: 60. Namque rei alicujus recordari dicimur, quando per vestigia cerebro impressa spiritus animales, quorum vestigia in cerebri medulla remanserunt, recurrunt, easdemque nobis res præsentem sistunt, vel etiam illæ res, quas intellectus mere spiritualis percipit, occasione data se intellectui offerunt. Eadem, inquam, ratione dici potest, res venire in memoriam Dei, quando revoluta annorum serie, intra quos pro rationibus sapientiæ suæ promissa implere decrevit, ea, quæ elementissime promissit, liberaliter præstat atque exhibet; eo quod quamdiu veritatem verbis suis non præstat, promissiones memoria Dei excidisse videntur. (γ) Quando *judicia* sua, quibus se peccatores scelerum suorum causa obstrinxerunt, *exsequitur* Ps. CIX: 14 CXXXVII: 7. Hof. VIII: 13. IX: 9. Apoc. XVI: 19. XVIII: 5. Nam quousque Deus commeritas pœnas, quas commina-

tus est, pro rationibus justitiæ suæ non exsequitur, videtur, ac si suæ negligens justitiæ, oblitus esset gravissimorum criminum, quibus se peccatores a longo inde tempore obstrinxerant.

VI. Venerunt igitur preces atque elemosynæ Cornelii in memoriam Dei, quando Spiritus S. qui est spiritus gratiæ atque precum Zach. XII. 10. jamjam effundendus super omnem carnem Joel III: 1. per pias hæc preces ac sancta suspiria Deum promissi sui, de gentibus ad communionem ipsius adducendis, admonuit, oblato potissimum sacrificio Christi pro peccatis totius mundi, sed id omne non est, quod in hac phrasi mihi videre videor, observo præterea, *memoriam* Dei haut injuria illum dici posse, in cujus medio est nomen Jehova Ex. XXIII: 21. quod est *memoriale* *μνημοσυρον* Dei Hoſ. XII: 6. quod nomen Secundæ sacrosanctæ triados hypostasi, Dei filio, sensu *ἐμφακωτέρω* competit, qui nomen omne patris sui hominibus notificavit Jo. XVII: 6. in quo gratiosa Dei promissa facta sunt *ναὶ καὶ ἀμὴν* 2. Cor. I: 20. per ipsum quippe facta est gratia & veritas Jo. I: 17. Adscenderunt proinde preces Cornelii in memoriam Dei, quando spiritus, qui preces has atque suspiria excitavit, patrem in filio promissi sui, de adducendis iis, qui quondam alienati erant, per hominem gentilem admonuit. Quando igitur filius, quem pater

ter *πλασμα* in sanguine suo nobis propo-
 suit, preces Cornelii patri suo stitit, ab eo-
 demque vi pacti cum ipso *πρὸ καταβολῆς τῆς*
κοσμῆ initi hæreditatem mundi atque gen-
 tium jure suo expetiit, dici possunt, preces
 Cornelii atque eleemosynas in memo-
 riam Dei esse in-
 gressas.



VI.

JOH. HENR. SCHRAM-
 M I I,

ET

THEODORI HASAEI

De *Parabola Christi*, de
 OPERARIIS IN VINEA, quae
 legitur Matth. XX. 1-16.
Cogitationes.

ARGUMENTUM.

Cl. Schrammii de hac parabola dissertatio §. 1. Illius
 summa per partes exhibetur §. 2, 3, 4. Nova propo-
 nitur parabola explicatio. §. 5. Quid *regnum coelo-*
rum, *Οικουδοσπετης*, *Επιτερον*, *Εργαται* §. 6. Hi
 sunt

funt membra ecclesiae neque impedit quod illi alias
vites appellantur. §. 7. Quid *Conductio, mane, dies,*
 §. 8. *Diversae vocationes; Primo Judaeorum, qui*
 Christi *ἑταῖροι* Matth. XXVI. 50. XXII. 12. Ps.
 XLV. 8. Cant. I. 7. §. 9. Deinde *gentilium, qui di-*
 cuntur *ἄλλοι*, idque hora *tertia, sexta, nona,* §. 10.
 Et *undecima,* quae fiet ultimis temporibus §. 11.
 Quid *vespera, ποκ? παλιγγενεσία,* §. 12. Quid sit
denarius sive merces. Est illa duplex καὶ ὀφειλήμα,
 & κατὰ χάριν. Ex coll. Rom. IV. 4, 5. huic loco lux
 accenditur. *Primum* vocatis data est merces ex ope-
 ribus, reliquis ex gratia. Δίκαιον non tam notat,
 quod strieto jure aequum est, quam quod ex gratia &
 benevolentia datur. §. 13, 14. Colloquium quod
 cum *ἐργατοῖς* habebitur, explicatur. §. 15. Loca
 Rom. IX. 20, 21. XI. 5, 6. conferuntur. §. 16. Con-
 venit scopo Christi, qui latet Matth. XIX. 30. & XX.
 16. §. 17. Conferitur parabola Lucae XIII. 25-31.
 §. 18. Convenit denique cum c. XX. 17. §. 19.

§. 11.

INclutae MARBURGO insigne nuper in-
 crementum ac decus accessit, postea-
 quam hac æstate Vir celeberrimus,
 Joh. Henricus SCHRAM-
 MIUS, sibi persuaderi passus est
 ut almam Nassoviorum Scholam, HERBOR-
 NAM, in qua Theologiam hæctenus insigni
 cum fructu docuit, cum hujus urbis Acade-
 mia, commutaret. Primitias laborum suo-
 rum dedit edita Kal. Septembribus disserta-
 tione, qua parabola de operariis in vinea Matth.
 XX.

XX: 1-16. explanatur. In ea ab aliorum doctissimorum Virorum sententiis discedens novam sibi ingrediendam esse viam existimavit, talemque adferendam expositionem, cui exacte sine ulla coactione cum toto ejus argumento, cum phrasibus adhibitis, cum scopo institutionis Christi, conveniret. Talem autem dari existimat, quando de *Vocatione Ministrorum Evangelii ad opus Domini in ecclesia N. T.* haec parabola intelligatur.

II. Id ut ostendat per *regnum coelorum* intelligit ecclesiam N. T. quae saepe venit sub emblemate *Vineae*. Ejus *dominum* proprietarium sive ΟΙΚΟΔΕΑΠΟΤΗΝ esse Deum Patrem, ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ Jesum Christum, ἜΡΓΑΤΑΣ sive *operarios* in hac vinea laborantes ecclesiae Doctores & ministros, illos dici ΜΙΣΘΩΣΑΣΘΑΙ, quando ad opus domini faciendum rite vocantur & constituuntur, statuit. Eum in finem Deum dici EGRESSUM, qua phrasi provida ejus pro ecclesiae incremento denotetur cura; idque in DIE, quae symbolum est temporis N. Testamenti; Ut autem dies in *horas*, tempusque *matutinum, meridianum & vespertinum* dispescitur, ita his phrasibus denotari certas N. T. periodos, quas Deus in conducendis Ministris suis observavit. MANE esse primam N. T. periodum, quae a Johannis B. & Christi praesconio sit inchoanda; HORAS reliquas, oeconomiae N. T. breviores periodos hoc MANE insecutas, & sic horam TERTIAM esse

esse periodum à temporibus Constantini M. SEXTAM, tempus Waldensium, NONAM *Wiclesi*, UNDECIMAM tempus Reformationis per Lutherum & Calvinum, promotae & ita VESPERAM, ultimum ejus oeconomiae articulum; *συντελειαν τῆ αἰων*, existimat.

III. Cum autem dicantur nonnulli, conducti in FORO, OTIOSI, forum esse figuram putat cum *gentilismi*, tum *Antichristianismi*; in eo multos *otiosos* esse homines, nugigerulos, ad dignitates ecclesiasticas aspirantes. Illis polliceri mercedem, DENARIUM, i. e. operariorum *stipendium*, per quod non tam *vitam* aeternam, vel N. T. *bona*, multo minus *lauta salaria*, intelligendum putat, sed *honorem & gaudium*, cum Servatore novissimo tempore participandum, quale promittitur Dan. XII: 3. Es. XXIV: 23. Apoc. IV: 4. Per MURMURANTES porro indicari falsos doctores, *invidia*, *superbia Pharisaeica*, & *avaritia* aestuantes, & merita suorum *praedecessorum*, quos primo esse vocatos clamant, jactitantes. Atque ita Christum indicare, fore, tales circa N. T. *vesperam*, suum habituros *caput & advocatum*, per quem, quia Deus eum vocat per *συνταγμα μου* ETAIPON commode intelligi possit, ille qui & alias hoc titulo compellatur Matth. XXII: 12. quique se jactat Christi *collegam & vicarium*, atque subordinatos sibi Doctores habet, qui JESU haberi volunt SOCII, Illi conveni-

nire

nire OCULUM MALUM, i. e. *invidum, avarum, superbum.*

IV. Horum quidem murmurantium primos decessores Episcopos, rite in vineam vocatos, qui opus, antequam ἀποστασία orta esset, fideliter praestitere, recepturos *denarium* suum, non autem, qui sequioribus vixere temporibus, illos enim *laturos*, quod *suum est*, dignam videlicet sua murmuratione mercedem, & Domini *indignationem*, quae phrasi indicetur, qua jubentur ὑπαγεῖν, *abire*. Atque haec omnia ut eleganter atque concinno, ut solet, ordine celeberrimus Auctor proponit, ita haec pariter & cum scopo Christi convenire, suoque ad unguem implemento gaudere luculenter conatur ostendere.

V. Haec cum summa animi mei voluptate cum legi, gavissus sum impense, quando deprehendi Virum mihi longe amicissimum, quem inter haud infima Ordinis Theologorum, qui hac tempestate vivunt, decora numerare soleo, in eas circa hanc parabolam cogitationes incidisse, quae maximam partem haud alienae sunt ab iis, quas jam pridem de ea tacitus animo volvi; tametsi id quoque fateor, non deesse mihi rationes, propter quas in nonnullis, praesertim quae spectant, *primum* vocatos, *mercedemque* distributam, & *puto* mihi ab ejus sententia paululum abeundum esse. Liceat mihi bona cum ejus venia, meditationes meas hac occasione breviter, &

velut ἐπιτομή, refectisiis, quae ad sensum
literalem illuminandum facere possunt, aut
quae jam ab aliis praestantissimis Viris obser-
vata sunt, heic loci exhibere; eas, cum ejus-
tum aliorum ei similium, hoc est, harum re-
rum prudentissimorum judicio excutiendas
permissurus.

VI. Puto itaque heic describi *Vocationem*
ad communionem regni Christi externam, factam di-
versis temporibus circa diversas gentes, Judaeos
praesertim & gentiles, cum indicio diversae merce-
dis, qua mactabuntur utrique. Regnum coelorum,
ut semper, ita heic quoque *Oeconomiam* desi-
gnat N. foederis cum exclusione veteris. *Do-*
minus vinee est prima Deitatis persona. *Επι-*
τομή ejus filius, D. N. J. C. utpote qui toties
Dei vocatur servus, cuique administrationem
ecclesiae Pater tradidit, cujusque erit in *ve-*
spera N. T. i. e. die ultimo Judicii unicuique
mercedem suam distribuere, quia *illi omne ju-*
dicium tradidit Pater Joh. V: 22. 27. tamquam
Viro, ἐν ᾧ ὄρασε κελνεῖν τὴν δίκην ἐν ΔΙΚΑΙΟ-
ΣΥΝΗ, Act. XVII: 31. VINEA est ecclesia,
sed externa. Per *OPERARIOS* autem intel-
ligo non tam ecclesiae Doctores, quam ejus
membra *εργάτας* dictos, quorum est *μετὰ φο-*
βου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν ΚΑΤΕΡΓΑΖΕΙΝ
Phil. II: 2. quos oportet πλεῖν ἐν ΕΡΓΟΙΣ κα-
λοῖς καὶ ἀγαθῶν ΕΡΓΕΙΝ I. Tim. VI: 18. & esse
ἔργαζομένους τὸ ἀγαθόν Rom. II: 10. καὶ
ἐθραῖες ἀμετακινήτες, πεισσεύοντες ἐν τῷ ΕΡΓῳ
τῷ

τῆς ΚΥΡΙΑΣ, εἰδοτάς ὅτι ὁ ΚΟΠΟΣ ἐαυτῶν οὐκ ἐστὶ
 κενὸν ἐν κυρίῳ I. Cor. XV: 58. καὶ περὶ ΠΑΝ
 ἜΡΓΟΝ ἀγαθὸν ἐξήρησιμεν 2. Tim. III: 17. quo-
 rum est τὸ ἜΡΓΟΝ τῆς πίστεως, καὶ ὁ ΚΟΠΟΣ τῆς
 ἀγαπῆς, καὶ ἡ ὑπόμονη τῆς ἐλπίδος I. Thess. I: 3.
 quorum celebrantur καὶ τὰ ἜΡΓΑ, καὶ ὁ ΚΟΠΟΣ,
 καὶ ἡ ὑπόμονη Apoc. II: 3. quorumque ἜΡΓΑ illos
 olim sequentur Apoc. XIV: 13. Confer Joh. VI:
 27. 29. Ebr. XI. 33.

VII. Video quidem minus hanc explicatio-
 nem arrisisse Cl. Schrammio. *Quomodo enim,*
inquit, fideles circa quos operantur ecclesiae mini-
stri, in hac vinea concipi possunt, ut OPERARII,
quum emblemate VITULUM illos pingi certum sit?
Quis ferret hunc sensum, patrem familias conduxis-
se eos, qui mystice sunt vites, ut laborarent in vinea?
 At vero ego ajo, id fieri posse sensu facili,
 commodissimoque. Omnium enim minime
 ignorare potest Vir in hoc studiorum genere,
 si quisquam alius, exercitatus, nihil esse vul-
 garius sermonibus divinis, & maxime pro-
 pheticis, quam ut eadem res & persona sub
 Symbolis, quae ad idem quidem spectant em-
 blematum genus, diversis tamen sub relatio-
 nibus proponantur. Sufficit in his saltem, si id
 non fiat in eodem orationis contextu. Ita
 Christum scimus & sub altaris, & sub sacrificii,
 & sub sacerdotis venire nomine. Idem & ovis,
 & agnus, & ovium pastor & janua ovilis appel-
 latur, & fideles aliis & aliis in locis & templo,
 & sacerdotibus, & templi vasis, & sacrificiis com-

parantur. Et ne longius à re, quam nunc tractamus, abeam, anne idem Deus Pater, qui hic est vineae Dominus, alibi ut ejus *vinitor*, atque operarius occurrit Joh. XV: 1. anne idem Christus, qui alibi sub emblemate venit *Domini vineae*, Jes. V: 1. hic occurrit sub simbolo *immersus in vinea*, & anne simul idem se ipsum *vitem* appellavit? Joh. XV: 1. Quid igitur obstat, quo minus ecclesiae, quae *vinea* toties vocatur, membra alibi *palmites* Joh. XV: 1. ob necessariam eorum cum Christo vera vite unionem, alibi *vites*, ob fructus, quos ferre debent Deo hominique gratos, in hoc autem loco *operarii in vinea* appellentur, ob *εργον* illud, τῆς οἰκίας καὶ ἀγαθῶν καὶ ἀγάπης cui impigre eos vacare oportet?

VIII. Illi *conducuntur*, i. e. invitantur externo praeconio Evangelii, proposita conditione certae mercedis in gremium ecclesiae, idque tum a Deo ipso, tum opera Ministrorum Legatorumque ejus. Idque factum est in DIE, i. e. tempore N. T. in oppositione veteris, quod sub emblemate *noctis* proponitur. Ut autem suis horis distinguitur dies, ita suis periodis N. T. oeconomia. At Primum mane, *Ἄρα πῶς* i. est. *cum primum albescere coelum incipit*, & *fuscis nox humida transfugit alis* (tum enim solebant inter Judaeos non solum, sed & gentes alias mercede conducti *vinitores vineas excultum commeare*) est tempus, ex quo Jo-

Johannes B. & Christus in mundum venire,
 & sol justitiae ortus, Mal. IV: 2. & ἀναπληξίς
 ὑψὺς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς, Luc. I: 78. & in mun-
 dum venit τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, ὃ φωτίζει πάντα
 ἄνθρωπον Joh. I: 9. & ἡ νύξ προεκυψεν, ἡ δὲ ἙΜΕ-
 ΡΑ ἠγγικεν Rom. XIII: 12.

IX. Primo itaque illo diluculo vocati sunt
 in vineam JUDAEI, quibus primum Evan-
 gelium praedicandum fuit, relictis reliquis po-
 pulis, ex mandato Servatoris Matth. X: 5, 6.
 quod & impletum Act. III: 26. coll. Rom. I:
 16. I. Cor. I: 23, 24. Illi erant qui tot suis
 praerogativis superbientes, prae aliis mundi
 gentibus primatum sibi, ac primum veluti lo-
 cum affectabant. Quibus illud Terentia-
 num jure applices: *Est genus quoddam hominum
 qui omnium rerum se primos esse volunt, nec sunt.*
 Illos deinde Christus vocat ἑταίρους, v. 13.
 Quod idem nomen est, quod Christus eorum
 antesignano & typo illustri, (a) JUDAE de-
 dit Matth. XXVI: 50. Et, quod deinde imper-
 titivit illi ἀνθρώπων μὴ ἔχοντι ἐνδυμὰ γαμῶς Matth.
 XXII: 12. per quem & Judaeorum primo-
 res, propria justitia inflatos, neque Christi
 Y y 3 or-

(a) Apud Judaeos Doctores jam promoti, sed gradu
 minore vel auctoritate vel aetate dicebantur חברים
 v. gr. quandiu vivebat alicujus promotor, non ille
 promotus Rabbi vocabatur, sed חבר, i. e. socius
 promotoris sui, ut in Academiis Anglicanis dicuntur
 Fellows. i. e. socii. Et inde fortassis allocutionem
 hanc suam mutuatus est Servator. T. d. H.

ornatos iustitiae veste, intelligendos tota docet parabolaε συνάφεια, occasio, scopus atque ἀποδοσις. Qui ejus erant socii, ob ejusdem non solum naturae, sed & generis communionem, quos Judaei venerate solebant חברים, μετοχῶν, φίλων, κοινωνοῦν, εταίρων, quorum σπεκῶ καὶ αἰμαῶ μετῶ Christus; qua phrasi ad Ebraeos scribens utitur Apostolus. Prae quibus Messiae insignis tribuitur praecellentia Ps. XLV: 8. qui ex celeberrimorum Interpretum sententia ejus dicitur socii Cant. I: 7. inter quos frustra quaerebatur. Illi quoque in vinea laborarunt, i. e. externo ecclesiae coetui fuere aggregati, & in externorum observatione multum posuere operae ac laboris. Hi denique sunt, qui invidia & livore erga alias gentes perciti illorum felicitatem non oculis bonis adspiciunt, sed eos sibi praelatos & mirabuntur & indignabuntur.

X. Ab his autem ἄλλοι i. e. plane moribus, religione, gente distincti erant GENTES, ἄλλοτεροι dicti Eph. II: 12. quibus postquam Judaei renuerant obedire Evangelio, praedicatum illud est, idque *tertia hora*, hoc est illa periodo, cujus initium collocandum est juxta id tempus, quod describitur Act. X: & XIII: 46, 47, 48, 49. Illi Gentiles erant, ἄργοι, otiosi, rebus saltem nauci & nihili occupati, atque inutiles in foro mundi palabantur sine Domino & duce, *Deum neque*
inve.

investigantes, neque quaerentes, neque nomen eius invocantes. Es. LXV: 1. quibus Deus concesserat πορευεσθαι ταις ὁδοις αὐτων Act. XIV: 16. *χωρὶς χειρὸς ἀπῆλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τῆ Ἰσραηλ, καὶ ξένοι ἰων διαθηκῶν ἰησῆ ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες καὶ ἄθεοι ἐν ἰω κόσμῳ.* Eph. II: 12. Ab illis autem non alii dicuntur, qui in vineam vocati narrantur Horis *sexta & nona*, qui rursus itaque sunt *Gentiles*, utpote quorum insignis accessio ad ecclesiam facta est duplici aetate, CONSTANTINI & CAROLI, magnorum Caesarum. Nisi forte malis invitationem, quae facta illis horis est, intelligere de restituta evangelii praedicatione cum temporibus WALDI, ejusque sequacium Wiclefi & Hussi, (neque enim tanto illi temporum intervallo inter se distabant, ut peculiare illis HORAE sive temporum periodi sint assignandae,) tum, quando ante duas annorum centurias gloriosa illa emendatio sacrorum Deo duce & auspice Christo, promotam est.

XI. Restat adhuc alia invitatio, ΤΩΝ ἸΑΛΛΩΝ, (quam vocem nota iis, qui sexta & nona hora conducebantur, non addi) i. e. illorum, qui neque ad illos Judaeos, neque ad Gentiles jam adductos pertinebant, quae facta dicitur *hora undecima*, i. e. paulo ante *duodecimam*, sive *vesperam* N. T. per quam *consummationem saeculorum* intelligendum arbitror. Per haec autem indicari puto *μυστήριον* illud, quod Apostolus explanat Rom. XI: 25,

scilicet, fore, ut olim εἰσελθῆ τὸ πληρωμα ἰων
ἔθνων, καὶ οὕτω πᾶσι Ἰσραηλ servetur; omnium-
que aliorum, qui nondum adducti erant, &
Judaeorum & gentilium, & Mahumedano-
rum, in utroque orbe fiat in ecclesiam intro-
ductio.

XII. Quae omnia ut plana sunt, plenoque
fluunt alveo, ita difficilius paululum explica-
tu est, quid per MERCEDEM, vespertino
tempore distribuendam, intelligendum sit.

Atque ita, cum iis profiteor me facere,
qui per *vesperam* intelligunt, diem decreto-
rium, & consummationis saeculorum, quem
Christus superiori capite vs. 28. vocaverat
τὴν παλιγγενεσιαν, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱοῦ τῶ ἀνθρώπου
ἐπὶ θρόνον δόξης αὐτοῦ, sive τὸν καιρὸν κερθηναι
καὶ δοῦναι τὸν ΜΙΣΘΟΝ τοῖς ἄλλοις σου, καὶ τοῖς
ἁγίοις καὶ τοῖς φοβημένοις τὸ ὄνομα σου Apoc.
XI: 18. quo finis erit *diei* oeconomiae Testa-
menti novi, omniumque malorum, quibus
afflicta fuit Christi ecclesia, qui, ut illo pii post
tot labores aerumnasque suavi *Quiete*, quam
populo suo Deus paravit, aeternum refocilla-
buntur, ita tristis atque aeterna NOX erit
impiis.

XIII. Quod vero *denarium* adtinet, sive
mercedem, in eo mihi ab omnium interpretum
discedendum esse sententiis video. Id velim
autem notari, duplicem esse mercedem, una,
quae datur illis, qui primi vocati sunt, quibus-
que ea, cum talis erat, qualem postulave-
rant,

illum acceperunt, erant *Judaei*, qui propriis suis operibus se vitam & salutem posse suam acquirere existimabant, quique justitia operum suorum acquiescebant, delectabanturque unice. Alia autem merces erat, quam expectandam habebant alii certo quidem sensu *ἐργαται*, utpote qui *ἰδε, δι' ἀγάπης ἐνεργοῦμεν* Gal. V: 6. quae vocatur *ἔργον ἰσ Θεοῦ* Joh. VI: 29. & *ἔργον πίστεως* 2. Theff. I: 11. ut & 1. Theff. I: 3. Salutis erant futuri compotes, sed tamen, qui respectu reliquorum vix ita poterant dici *ἐργαται*, ut pote qui tantum *μιαν ὥραν ἐποίησαν* vl. 12. i. e. non tantum temporis laborisque *τῆ σωματικῆ γυμνασια πρὸ ὀλίγον ὠφελιμῶ* impenderant. Hi, cum Domino de certa mercede non convenerant, sed Deo, ejusque promissionibus crediderant, iisque satis erat, quodcunque ex liberali Domini gratia erant accepturi, (illud enim praemium, etsi datur ex benevolentia, *μισθὸς* tamen vocatur Matth. V: 12, 46. Luc. VI: 23. Joh. IV: 3. 6. Apoc. XI: 18. & *μισθὰ ποδοσῶν* Ebr. XI: 26.) qui daturus erat illis, *ὁ ἐάν ᾗ ΔΙΚΑΙΟΝ*, hoc est, qui dabit *μισθὸν κατὰ τὴν χάριν*, cum illis fides imputabitur *εἰς ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΝ* Rom. IV: 5, 9. quae inde vocatur *ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ χωρὶς ἔργων* vl. 6. καὶ τῆς πίστεως vl. 13. Notandum enim est, ex familiari Ebraeis loquendi consuetudine *קריב* illis non semper significare, quod secundum exactum jus, aut stipulatas condiciones justum atque aequum est, sed

sed &, quod fit ex benevola quadam animi
propensione, ex bonitate, ex charitate, ex mi-
sericordia, hinc idem aliquando est, quod
חסד. Unde צדקה saepe notat beneficentiam,
& saepissime sumitur pro *elemosynis*;
De quo loquendi modo tum passim alias, tum
in primis vide Celeberrimum C. VITRIN-
GAM de Synag. Vet. L. III. p. 1. c. 12. Sic
quoque Δικαιο occursit 1. Joh. I. 9. eo sen-
su pro misericorde, ad remittenda peccata pro-
no, uti & *justitia* ita occurrit apud Terentium
Heaut. IV; 1, 33.

- - - - Nunc hoc te obsecro,
Quanto tuus est animus natu gravior, IGNO-
SCENTIOR,
Ut meae stultitiae in JUSTITIA tua sit aliquid
praesidii.

XIV. Id autem fiet ultimo judicii die, quan-
do unicuique Deus ἀποδώσει κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.
Rom. II: 6. Et tum mirabuntur, dolebuntq; non
sine indignatione summa miseri Judaei, qui
omnium primi ad externam ecclesiae com-
munionem vocati erant, immensisque labo-
ribus per omnia N. T. tempora se macerave-
rant, βασταζόντες τὸ βαρὺ τῆς ἡμέρας καὶ τὸν
καύωνα vs. 12. hoc est, jugo δυσβάστακτω legis
suae adhaerentes perpetim, atque omne ge-
nus afflictionibus ludibriisque gentium, inter
quas vivebant, vexati, cum videbunt, non
aliam sibi expectandam esse mercedem,
quam

quam qualem laboribus suis propriaque justitiae observatione commereri poterant, qualemque ipsi tantum desideraverant, ita ut fructus comedere laborum suorum illis nunc liceret, cum e contrario illi, qui & multo serius accersiti, neque tantum laboris in externorum officiorum observatione posuerant, longe ampliori macerandi erant praemio ex liberissima Dei *εὐδοκία* illis cessuro. Peregrinum enim id illis videbitur, & quodammodo iniquum nimium generis sui praerogativis, *operumque* externorum exactae observationi confisis.

XV. Atque ex his sensus hauriendus est, totius illius colloquii, quod murmurantes cum Domino vineae instituisse narrantur vs. 8. sqq. Neque enim magis opus est, ut singulorum hujus dialogi verborum exactam explicationem des, quam talis exigitur in illa parabola, quae legitur Luc. XVI: vs. 23-31. aut in illarum collocutionum interpretatione, quas Dominum Jesum Christum in die futuro judicii cum beatis reprobisque habiturum narratur toto vicesimo quinto Matthaei capite. In quibus sane, si quis verbum de verbo olim expressum iri putet, nae sane is se ridiculum & seria refutatione indignum praebiturus esset. Sensus itaque eo recidit, ultimo die judicii manifestandum esse publice, atque unumquemque experturum, quam diversa fors maneat eos, qui priorum operum meritis confisi, in iis suam justitiam quaerunt,
&

& qui ex adverso, quantum in se est, fidei per caritatem operosae operantur, nihil tamen se ita commereri posse persuasi in sola Dei misericordia, gratiaque omnes spes suas, fortunasque repositas habent. Atque ita verba illa vs. 14. *Αρα τοσον, και υπαγε non abludunt ab illis, quae diviti Helluoni acclamantur Luc. XVI: 25. Τεκνον, μηροθηπι, οτι απελαβες ου τα αγαθα σου εν τη ζωη σου.*

XVI. Interea loci non alia opus est divino numini factorum suorum, humanae rationi impervestigabilium, apologia, quam illa, quae heic quoque occurrit; *Ουκ εξεσι μοι ποιησαι, ο θεω, εν τοις εμοις, η ο οφθαλμο σου πνηρη εν, οτι εγω αγαθ ειμι;* vs. 15. Quae prorsus eadem sunt, cum iis, quibus plane simili in causa, (agitur enim ibi quoque inter alia de varia Dei in vocandis Judaeorum atque ethnicorum dispensatione,) causam Dei tuetur Apostolus. *Μενουνγε, ω Ανθρωπε, ου πε ει ο ανταποκρινομενο τω θεω. Μη ερει το πλασμα πλασωντι. Τε με εποιησατε ουτως. Η ουκ εχει εξεσιαν ο κεραιμευς, κ. τ. λ. Rom. IX: 20, 21. Quemadmodum totum processum quem hic describit Servator Paulus quoque eodem capite vs. 30, 31. his verbis mihi exhibuisse videtur; *τι ουν ερεμεν, Οτι εθνη τα μη διωκοντα δικαιοσυνην, κατελαβε ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΝ, δικαιοσυνην δε την εκ πιστεως. Ισραηλ δε διωκων νομον δικαιοσυνης, εις νομον δικαιοσυνης ουκ εφθασε.* Pariter, egregie haec illustrari posse judico, ex ejusdem Pauli verbis,*

bis, quibus de eadem Judaeorum ultima vocatione agens utitur Rom. XI: 5, 6. Ουτως καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λείμμα κατ' ἐκλογὴν χαρῆς γεννῶν. Εἰ δὲ χάρις οὐκ ἐστὶν ἐξ ἔργων &c. colato versu II. τῶ αὐτῶν (Judaeorum) ὡς παρωμαπῆ σωτηρίας τοῖς ἔθνεσιν εἰς τὸ ΠΑΡΑΖΗΛΩΣΑΙ αὐτοὺς. Atque illam ὡς ζήλωσιν in nostra parabola descriptam legimus.

§. 17. Atque ista quidem explanatio, ut cum verborum emphasi, analogia fidei, S. Spiritui in verbo suo usitatis loquendi modis probe convenit, omnesque difficultates, salebrasque, quae non parum interpretes morabantur, tollit, ita nulla ei lis est cum duplici illo & προμυθῶ & ἐπιμυθῶ, quod Christus & praemisit, & subjecit c. XIX: 30. & XX: 16, 17. Si enim ea, quae heic contineri diximus, contigere, vides, quomodo *primum* vocati, i. e. *Judaei*, facti fuerunt ultimi in accipienda mercede, & *ULTIMUM* vocati, sive gentiles sive Judaei, sive Mahumedani, facti fuerint prae primis *primi*, quod docetur cap. XX: 16. Et simul, quomodo *ΠΟΛΛΟΙ*, adeoque non omnes, *πρωτοί*, i. e. *Judaei* primo tempore vocati, (neque enim *omnes* inter illos justitiam suis meritis quaesivere, cum non pauci quoque inter Judaeos temporibus Christi & Apostolorum δικαιοσύνην πίστεως in Christo sitientes in eo nati sunt) facti fuere *ULTIMI*, ratione praemii, & e contrario *ΠΟΛΛΟΙ* ἔχρατοι, i. e. *postremo loco* vocati (neque enim omnes inter illos

illos cum abnegatione propriae justitiae salutem in gratia Dei quaerent) erunt postremi. Id quod Christus dixerat cap. XIX:30.

XVIII. Atque hunc horum verborum scopum, sensumque esse ex collatione patet ejusdem ἀποδοσεως, quae parabolae additur Luc. XIII: 25-31. Illa enim cum hac fere ἑλληλά est. Agitur enim, ut & hic, de actione quadam τῆς οἰκοδεσποτῆς vs. 25. Jubet quibusdam res sibi habere suas, atque ὑπαγεῖν, quando inquiet, ἀποσητε ἀπ' ἐμοὶ πάντες ἐργαταὶ (non τῆς δικαιοσύνης, sed τῆς ἀδικίας. vs. 27. Illi autem erunt tales, qui jactare de se poterant, se coram eo comedisse, bibisse, atque ab eo in plateis suis eruditos fuisse? Id quod unicuique patet, applicari posse nemini, nisi Judaeis sub primo N. T. diluculo ab ipso Christo vocatis. Nihilo tamen minus gentiles ἀπ' ἀνατολῶν, καὶ δυσμῶν, καὶ ἀπὸ βορρᾶ καὶ νοτῆ invitati, (id quod in plena emphasi non nisi de extremis temporibus instituenda omnium gentium vocatione intelligi potest) Judaeis illis praelatum iri docet Salvator vs. 29. Et tum rursus adjicit, idem hoc epiphonema: Ἔσονται ἔσχατοι, οἱ ἔσονται, πρῶτοι, καὶ εἰσι πρῶτοι, οἱ ἔσονται ἔσχατοι. Quae, si cum nostra hac pericopa componantur, dici nequit, quantum lucis utrique accedat.

XIX. Porro, cum non omnes omni tempore, locoque sint vocati, & tamen varia inter varias gentes variis temporibus instituta sit vocatio, animadvertis, quomodo vocati sint non omnes, non pauci, sed **MULTI**. Cum autem inter eos, qui vocati sunt, vides multos fore invidos, murmurantes, maloque oculo utentes, neque aliam mercedem, quam quae illis ex propriae justitiae cultu dari poterat, accepturos, perspicis quomodo inter **MULTOS VOCATOS** sint **PAUCI ELECTI**. Οπερ

ἰδεν δεῖται.

VII. Ex-

Excerpta

ex literis

Eilhardi Folcarthi Har-
ckenrothii,

ad

Theod. HASAEUM,

ARGUMENTUM.

Antonius Liber. Excerpta ex libro Hardenbergii.
Jacobus Canterus. Gerhardus a Doetincke §. 1. Do-
mus Standonica S. S. Antonii Lovaniensis. §. 2.
Hadriani HAEMSTEDII vita. Ecclesia Aquensis,
Antverpiensis, Londinensis Belgica. §. 3, 4, 5, 6.
Persecutio Gallica anni 1557. §. 7. Haemstedii Epi-
stola ad regem Galliae. §. 8. Epistola Nassoviorum
scripta ad ecclesiae Emdensis Antistites, in qua Mat-
thiam Martinium a se dimitti non posse, declarant
§. 9, 10. Johannes, Comes Nassoviae; Ejus pro-
fchola Herborensi cura. §. 11. Martinii laus. §. 12.
Jacobus Frisus. Daniel Marcellus. §. 13.

§. I.

Nuperrime in Fasc. I. Class. 5. Biblio-
thecae tuae p. 125. mentionem fecisti
cujusdam *Antonii Liberi*, (a) cujus
instituzione Swollis usus fuit Adria-
nus papa juvenilibus annis, prius-
quam

Class. V. Fasc. IV.

Zz

quam

(a) Hic Antonius Liber, Susato - Westphalus, maxime
fa-

quam Lovanium abiit, accipe quæ vir magnus
 Albertus *Hardenbergius* 1535. allevit libro Luca-
 ni Poetæ de Bello Pharsalico, qui olim inscri-
 viit magno Cœnobio Aduerdiensi, ast nunc
 in Bibliotheca nostra Emdensi publica exi-
 stat inter historicos in fol. N. 51. „Hunc li-
 „brum *Rodolphus* à *Ziloha*, alias *Agricola* dedit
 „doctori *Jacobo Canter*, poetæ Laureato (qui
 postea apud Emdanos Sacerdos fuit & vica-
 rius ad altare S. Crucis & maxime *Georgio*
Aportano in opere reformationis obstitit ab
 annis 1520. usque ad annum 1528. quo templo
 & altari discedere iussus. Hujus familiam su-
 se descripsit *Suffridus Petrus de Scriptoribus*
Frisiæ p. m. 111. & seqq.) „Is porro donavit

familiariter usus summis ætatis suæ *Viris Rud.*
Langio, & *Rudolpho Agricola*. Horum etiam im-
 pulsu & consiliis purioris Latinitatis usum in scholas
 varias, in quibus docuit, introduxit primus. Ad-
 scribam de eo verba *Hermanni Hamelmanni*, ex
 ejus oratione de *Rodolpho Langio*; *Idem præstitit*
(loquitur de Langio) in Antonio Libero, Susatensi,
qui ut olim quoque Daventriæ fuerat Langii condiscipu-
lus, ita tunc agebat Amstelodami, Campis & Alcmariæ,
& ex Langii adhortatione studia in suis scholis, ut etiam
propterea infensissimos hostes hoc nomine ha-
ret Barbaros illos Philosophastros, qui effecerunt, ut
aliquoties loco moveretur, correxit, interim in literis po-
litoribus propagandis & explodenda barbarie permansit
constans Antonius Liber, nostri Rodolphi Langii & Ro-
dolphi Agricola literis & monitis corroboratus, ut erat
ingeniosus & doctus. Hæc Hamelmannus, qui eadem
fere repetit in narratione de Hermanno Buschio p.
 285. Confer eundem in *Opusc.* p. 1422. T. d. H.

Ob singulare ingenium Domino Johanni Antonio Libero, Monacho Aduardiensi hisce versibus.

Accipe Johannes hoc nostri pignus amoris
 Antoni & nostri quum legis esto memor.

Cujus pater Antonius LIBER, & ipse laurea poetica à Frederico Cæsare, ejus nominis tertio erat donatus cum Rodolpho Langio, Paulo Pelantino, Johanne Nuteriano & aliis pluribus, qui apud nos illa ætate florebant. Mortuo Johanne Libero, Anthonii filio, cujus heic adhuc quædam excellentia, sed imperfecta exstant monumenta, is liber ad Dominum Gerhardum à Doetinkhe virum excellentis doctrinæ pro sua ætate, devenit, qui paulo ante mortem eundem mihi donavit; itaque rogo quisquis eo postea uteris, ut propter magnorum hominum memoriam reverenter & amice eundem tractes; & Aduardiæ semper relinuas. Id me rogavit D. Doettinkhe, & ego te porro rogo, quisquis hæc videbis, amice lector, 1535. Albertus Hardenbergus.

§. 2. In eodem fasciculo p. 127. tu Clarissime Vir, dubitas an Hardenbergii verba rectè legirim in domo Sancti Antonii, & conjicis, quod legi debeant in domo Standonica, ob rationes ibi allegatas, sed possum tibi, ut certissimum affirmare, quod literis nitidissimis Hardenbergus

scripserit in domo Sancti Antonii, (b) & quidem recte, nam apud Pontificios Sanctus Antonius, ut Patronus pauperum honoratur, hinc qui in pædagogio Porciorum ob paupertatem gratuito alebantur, idem est ac si dicas quod in domo Sancti Antonii sustentati fuerint, & voluit Hardenbergus voce minus scandalosa uti.

P. 163. de libro Anglicano. *Ecclesiastical memorials Relating* &c. recte conjicis, quod in illo tales memoriæ historiæ Reformationis exhibebuntur, quæ aliorum diligentiam effugerunt &c. Si iste liber in linguam latinam aut Belgicam verteretur, forte nonnulla adde-rem, quæ non ubique occurrunt, verbi gratia, quinam in Ecclesiis Belgicis Londini Noortwici & Sandwici ministraverint, & qualis illarum Ecclesiarum status sub Eduardo Sexto, Maria & Elisabetha Reginis fuerit, idque ex manuscriptis ineditis.

§. 3. Hac occasione etiam tibi transmitto sequens epistolium ab Hadriano HAEMSTEDIO, de Ecclesiis Belgicis aliisque bene merito exaratum ad Regem Galliæ 1557. dignum,

(b) Facile potuit fieri, ut domus illius Standonica nomen degeneraverit paulatim in nomen St. Antonii, idque eo facilius, quod S. Antonii nomen illa ætate in ore superstitionibus dediti populi frequenter esset, quam vulgarem consuetudinem Hardenbergius potuit sequi. Certum alias est, Domum St. Antonii dictam, non esse Lovanii, & Adrianum Papam in domo Standonica fuisse enutritum. T. d. H.

gnum, ut posteritati in Bibliotheca tua pateat. Præmittam autem quædam, quæ de hoc Viro mihi innotuere. Nimirum *Hadrianus Cornelius HAEMSTEDIUS*, Batavus, solum vertens ab Emdanis in Belgium missus, ut Ecclesias Christi latentes, ast Evangelii luce colustratas erigeret & erectas ædificaret, hunc Antwerpia in Ministerio desudantem reperio 1557. ut & collegam ejus *Casparum Heidanum*, ex qua urbe dicto anno ipsis Calendis Decembris supra memoratam epistolam Regi Gallia conseripsit, attamen locum, ex quo scripta fuit, prudenter reticuit ob periculosa tum tempora, uti etiam reperio sæpius factum in datis testimoniis Ecclesiasticis, nequid detrimenti Ecclesiis sub cruce gementibus exinde oriretur, si forte literæ illæ *οὐρανίου* in manus inimicorum incidissent. Eandem ob rationem quoque Belgæ, quum Illustrissimus Princeps *Wilhelmus Arausionensis* 1569. Belgicam rempublicam denuò erigere incipiebat passim in epistolis suis huc, illuc missis lecta nomina usurpabant, *V. G. Hollandia* vocabatur *Æs. Enkhusa Triton. Horna Pollux. Alkmaria Pluto. Amsterdamum Saturnus. Briela. Vulcanus Delfis Apollo. Haga Comitum Jupiter. Lugdunum Batavorum Mercurius. Woerda Satyr, Dordracum Janus. Gauda Mars. Rotterodamam Æolus. Ultrajectum Proserpina. Daventria Venus. Sutphania Ariadne. Emda Brunswikum, Vesalia Coppenhage &c.* teste *Petro Borrio* in libro ver-

naculo de bello belgico ad supra memoratum annum p. m. 85.

Hic fuit licet juvenis annis, tamen Vir probus, pro gloria Dei zelans nec alte de se sentiens, ut liquet ex sequenti relatione: quum enim nonnullæ difficultates circa regimen Ecclesiasticum ibi agitentur per epistolam 1557. die 21. Junii invitavit Emdanos, ut pastorem magis exercitatum, præsertim *Hubertum* Midlumi in præfectura Emdana ministerio fungentem isthuc mitterent, qui amore erga Deum & Ecclesiam ardens, voluit etiam ut alter Moses potius malis cum Ecclesia affici, quam apud Midlumanos pace frui. In eadem epistola eorum consilium expiscatur, an non necesse sit, ut in posterum publice & super tecta Evangelium prædicent, saltem hic primus fuit, qui Antwerpia eo tempore & loco, ubi processus paparum publicus habebatur, intrepide non sine vitæ periculo λογια ζωντα promulgavit, licet hoc factum nonnullis ut *ἀκαρον* videretur. Ex eadem epistola mihi liquet Belgas tum temporis nostram regionem Oostfrisicam considerasse ut terram Canaan, Emdam ut Jerusalem, & Amisiam ut fluvium Jordanem, & mare australe, vulgo ZUIDER-ZEE dictum ut mare rubrum, sic enim in ea querulatur; quod monachi quamdiu mare rubrum non sunt transgressi, quamprimum illos cura ventris vexare incipit, facile revertantur ad claustra sua, remissa vera religione.

§. 4. 1558. Accrescente mense Februariō
 noster Haemstedius Ecclesiam Aquensem Bel-
 gicam extredcim familiis mercatorum Ant-
 werpiensium potissimum constantem prior
 fundavit (eodem tempore Ecclesia Gallica ibi
 constabat viginti familiis) & ad magis pro-
 sequendum inceptum illud opus Domini ab
 Emdanis illuc missi fuerunt *Johannes Dirkenus* &
Hermes Bakkerelius. Hoc eodem anno, exe-
 unte Majo illum Francofurto ad Antwerpien-
 ses rediisse alibi lego; ast quum hoc anno
 persecutio ibi indies accresceret & Ecclesia so-
 lum vertere cogeretur, ab Ecclesia dimissio-
 nem petiit ip̄s Calendis Augusti, quam
 etiam obtinuit, & sic profectus, Nordam,
 Frisia Orientali urbem perantiquam appulit,
 ibique apud sororem suam viduam Catharinam
 ab Hamstede commoratus est. Ast anno se-
 quenti 1559. in Angliam tendit, dissuadente li-
 cet Alberto Holtmanno, Pastore Nordensi, &
 Londini appulit, ubi in Ecclesia Belgica, quæ
 post mortem Regis Angliæ Eduardi Sexti sub
 Regina Maria 1553. & sequentibus suppressa
 fuerat, ast regnante Regina Elisabetha jam re-
 viviscere incipiebat, licet certo ad peragenda
 sacra loco adhuc destituaretur, primus Con-
 cionem publicam, è rostris sacris dixit in tem-
 plo St. Dionysii permissu istius Ecclesiæ
 ministri, sed de hisce οὐν Θεῶν plura in opere
 nostro vernaculo, *Ecclesia Emdana ma-*
trix.

§. 5. Quum sequentibus annis in Ecclesia Londino Belgica litigium ingens, quod deinde etiam Ecclesias Nordwici & Sandwici vexavit, erat ortum, præsertim hanc ob causam, quia Consistorium, ut quam maximè necessarium urgebat, ut sacro Baptismati testes interessent, quum tempore Johannis à Lasco, Martini Micronii, Nicolai Carinæi & Petri De-loeni, quidem testes admissi sed absque ulla necessitate, aut coactione.

Hinc noster Haemstedius 1562. die 9. Aprilis Groningæ apud Ecclesiam latentem degens, mittit ad Emdanos, ut ex ipsorum consilio sibi liceat illuc in Angliam proficisci ad assepiendum illud maximopere acerescens litigium ab aliis Theologis Anglis frustra tentatum, sed ille etiam incassum laboravit. Nam 1565. Cornelius Cœtunius Pastor Emdanus ejusque affinis Henricus Schonenbergius & Petrus Carpentarius, Minister Antwerpensis ad easdem lites sepeliendas accersiti, illuc profecti fuerunt, & hos per spatium ferè sex mensium in isto negotio frustra occupatos fuisse ex Cœtunii literis mihi constat.

§. 6. Supra relata de Adriano Haemstedio mihi sunt certissima, ast quando & ubi locorum & in qua dignitate superstes occubuit, (c) cū ignarissimis ignoro. Scripta quæ reliquit, pra.

(c) Id autem ego didici ex Catalogo inedito Ministrorum ecclesiae Londino Belgicæ, cui suo tempore

præter nonnullas epistolas apud me servatas, non alia novi, quam quod primus omnium fuit, qui historiam martyrum belgico idiomate 1559. typis evulgavit Proceribusque Belgii Brabantiae, Geldriae, Flandriae & Hollandiae inscripsit; ex cujus prologo Petrus *Twisk* Mennonita in libro suo belgico van *de vryheid der religie* parte secunda p. m. 131. nonnulla emphatica verba excerptit. Eundem librum elapso seculo 1658. recudi curavit Johannes Gysius pastor in Streefkerk, erroribus nonnullis liberatum & 150. figuris æneis ornatum & sexaginta Martyribus augmentatum, teste Adriano Parsio in Indice suo Batavico p. m. 245.

§. 7. Occasio autem hujus epistolæ fuit persecutio, quæ in fideles Evangelii sectatores in Gallia regno tum temporis fuit excitata. Nam a. 1557. Hugnotæ, sive Lutherani ad audiendam concionem Parisiis in Platea St. Jacobi dicta, collecti, propemodum omnes jussu Regis capti, male habiti & vinculis numero ad minimum 100. aut 120. constricti sunt, inter quos & matronæ non infimæ notæ memorantur, ut v. g. nobilissima uxor *Quartii*, *Retigny*, *Campaigne*, Virgo quædam nobilis de *Graveron* dicta, & ex virili sexu numeran-

Zz 5

tur

re, volente Deo, in hac Bibliotheca locum assignabo. In eo quarto loco memoratur *Adrianus Hamstedius*, Selandus, inauguratus muneri in illa ecclesia a. 1559. & denatus in Frisia a. 1562. T. d. H.

tur Advocatus quidam Parlamenti Vir juvenis, *Gravellus* dictus, & Rector Universitatis *Cinet*, sacrarum scripturarum studiosissimus, horum omnium nonnulli secundum tenorem edicti 1555. Parisiis publicati statim igni adjudicati sunt, ut Virgo *Graveron*, *Gravelles* & *Cinet*, alii autem vinculis detinebantur.

Ob hoc jussu Regis patratum facinus, undique ad Regem Galliae Henricum II. literae fuerunt missae omnem ferociam dissuadentes & obnixè rogantes, ut mitiori animo cum veris Christi confessoribus agere vellet, harum una fuit & haec nostra Haemstedii epistola. Vide *de Staat en gemeene welvaren van Frankryk* p. m. II. 12. Hanc ferociam Regis Summus rerum Arbiter non impunitam dimisit, siquidem Rex in ludicro certamine, lanceâ in oculum ejus dextram penetrante vulneratus, mox usum vocis & sensuum amisit, & Spiritum efflavit Quinētilis seu Julii mensis decimo die 1559. Successor ejus, filius natus Maximus Franciscus II. Mariae Stuartae Scotiae Reginae maritus, postquam sexdecim menses & viginti quinque dies regnasset etiam occubuit 1560. die 5. Decembris. Hinc ad illius temporis Monarchas sequens carmen *περὸς γεννητὸν* fuit fufum.

Consilis Christum oppugnans & fraudibus ingens
Regum ille terror Carolus.

Ipsis ridiculus pueris, furiosus & excors

Totus repente corruit.

Tuque Henrice malis dum Consultoribus utens

Sitis piorum Sanguinem.

Ipse tuo Vacors inopina cade peremptus

Terram imbuisti sanguine.

Henrici deinceps sectans vestigia Patris

Franciscus infelix puer.

Clamantem Christum surda dum negligit aure,

Aure putrefacta corruit.

Versuti, fatui, surdi, hæc spectacula Reges

Vos sapere vel mori jubent.

§. 8. Epistola autem, quam Haemstedium
tum scriplisse diximus, hæc est.

Inclyte, potentissime & Christianis-
sime Rex & Domine Clementissime.
Multa & magna beneficia & verè re-
gia multis seculis cum aliæ gentes [Europæ
ab inclytis Franciæ Regibus acceperunt, tum
vero præcipue Germanici Principes. Et gra-
ti meminimus, patres nostros eximia benefi-
cientia majorum R. D. V. & nos ipsos à R. D. V.
defensos esse: Propter quæ beneficia & debe-
re nos perpetuam gratitudinem profitemur &
gratiam R. D. V. habemus. Nunc quo-
que freti benevolentia R. D. V. erga
nos, sumus supplices R. D. V. pro suis, non,
ut regni tanti consiliis nos ingeramus, sed
quia & maxime affeimus in tanta cala-
mitate vestrorum. Sicut scriptum est; Bea-
tus, qui intelligit super egenum & pau-
pe-

perem, in die mala liberabit illum Dominus; & inter regias virtutes vestras bonitatem, clementiam & misericordiam erga homines modestos, non seditiosos, non petulanter delinquentes eminere non dubitamus. Intelligimus aliquot Nobiles Matrones & Virgines & alios modestos homines in vinculis esse, propterea quod conciones seu audiverunt seu probant, in quibus taxantur quædam superstitiones, quæ irrepsert in Ecclesiam & cumulatae sunt propter inscitiam & avaritiam Monachorum. Neque enim negari potest multos abusus, alios errore, alios quæstus causa receptos esse, quorum emendationem etiam superioribus seculis flagitarunt docti & boni viri, in illo ipso doctissimorum Virorum cœtu Lutetiæ, quæ est præcipuum domicilium doctrinarum toto orbe terrarum, Guilielmus Parisiensis, Johannes Gerson, Wesselus & alii, eosque abusus fatemur à nobis taxari & tolli, ut ostendunt nostræ confessiones. Itaque supplices sumus ac propter Deum & propter filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, oramus R. D. V. ut vitæ illorum captivorum clementer & propter Deum parcat. Si autem seditiosas opiniones haberent aut dissentirent à Symbolis aut reciperent turpitudines in moribus, nequaquam pro iis deprecaremur. Nam & nos contumelias Dei summa cura prohibemus & magnis nostris periculis hoc agimus, ut rectè Deus invocetur &

reti.

retineatur Catholicæ Ecclesiæ Domini nostri
 Jesu Christi consensus expressus in scriptis pro-
 pheticis & Apostolicis & in Symbolis & proba-
 tis scriptoribus veteris Ecclesiæ purioris, Se-
 verè etiam morum turpitudines punimus ac
 testamur Deum, non cupiditate ulla nos inho-
 nesta, sed tantum ut Deo obtemperemus, am-
 plecti hanc doctrinam quæ exstat in nostris
 Confessionibus, quia agnitæ veritati non li-
 cet repugnare. Studemus igitur & Cives esse
 veræ Dei Ecclesiæ & Governatores honesti, &
 spe non dubia in hac invocatione Dei exspecta-
 mus externâ cœlestis Ecclesiæ consuetudinem.
 Ideo nunc nec deprecatores esse volumus, nisi
 cognita Confessione illorum, qui nobis capti-
 vorum calamitatem exposuerunt. Comperi-
 mus autem illorum confessionem & congruere
 cum Symbolis & alienam esse à fanaticis & se-
 ditiosis furoribus, & scimus multos excellen-
 tes eruditione & virtute, amantes Ecclesiam,
 scientes ordinem in Imperiis, Dei opus esse,
 & illustrantes veram doctrinam, de digni-
 tate politici ordinis, & magna cura tuentes
 nervos honestæ gubernationis, de ea confes-
 sione consentire. Quare & captivos existi-
 mamus à seditiosis consiliis & fanaticis opinio-
 nibus alienos esse, ac mittimus exemplum
 confessionis, quæ in omnibus articulis cum
 nostra congruit, tantum in uno aliquid
 est obscuritatis; de quo conciliatio fieri potest
 erudi-

eruditorum collatione, neque enim dubitamus
 toto orbe terrarum omnes timentes Deum as-
 siduis gemitibus petere à Deo Ecclesiarum con-
 cordiam, & Deum orare, ut flectat suo-
 rum Regum animos ut rectè dijudicare con-
 troversias curent, eamque cogitationem ante
 annos viginti suscipere Patrem R. D. V. Regem
 Franciscum excellentem sapientia & virtute
 meminimus: Sicut & veteribus seculis inclyti
 Reges Franciæ dijudicare Ecclesiæ controver-
 sias sæpe curarunt. Hoc & inclyti Patris & Ma-
 jorum exemplum R. D. V, imitari malit, quam
 aliorum injustam asperitatem magna cum lau-
 de R. D. V. averfata Synodo Tridentinæ, quæ
 malo consilio ad oppressionem veritatis colle-
 cta fuerat. Ut autem propter gloriam Dei
 veritas illustretur & consulatur concordia
 communi R. D. V, deliberationem aliquam de
 controversiis explicandis per homines idone-
 os instituat, ad quam & nostros mittere non
 recusamus, Nam violentis consiliis, nec sa-
 nari mentes nec tranquillitas Ecclesiæ consti-
 tui unquam poterit: Et tristissimum est sine
 fine tantam asperitatem exercere & à Regia
 bonitate alienum. Quare reverenter oramus
 R. D. V. ut propter Deum parcat vitæ Capti-
 vorum. Hæc misericordia Deo grata erit,
 qui hac promissione omnes invitatur ut mode-
 stis leniantur pœnæ, Beati Misericordes,
 quam maximam consequentur. Vicissim
 igitur R. D. V, Deus benefaciet, idque mul-
 ti

ti rectè invocantes Deum in omnibus terris ardentibus votis petent; Et nos R. D. V. offerimus nostra officia cum perpetua gratitudine. Datum Cal. Decembr. Anno 1557.

Hadr. Haemstedius.

§. 9. Mitto tibi denique authographum epistolae, quam Nassovici ad nostræ ecclesiæ Consistorium miserunt, in qua causas aperunt, ob quas Matthias Martinus, nostræ, vestræque urbis olim insigne decus ad ministerium in hac urbe obeundum vocatus nobis concedi nequiret. Inscriptio hæc erat. *Reverendis, pietate & doctrina præstantissimis Viris, omnibus & singulis Emdanæ ecclesiæ Verbi Ministris Dominis & in Christo fratribus colendis.*

§. 10. Salutem per Christum *μεσίτην καὶ ἐκέρτην*. Reverendi, pietate doctrinâque præstantissimi Viri. Cum pro eo, quo omnes fideles in Christo capite cohærent vinculo, merito omnes Ecclesiæ orthodoxæ summo se invicem amore prosequuntur; tum certo scio illustrem & Generosissimum Dominum Johannem (d) seniore Comitem Nassovium, cu-

(d) Hic fuit Wilhelmi Principis Arausionensis, cui tanta religio & libertas Belgarum debet, Frater, XXV. liberorum, ex quibus LVII. nepotes, III. abnepotes vidit, Pater. Ex quo omnes descenderunt Principes Comitesque Nassoviæ familiarum Sigenensis, Dil-

cujus pia anima jam apud Deum in cœlo feliciter agit, vestram Ecclesiam singulari & incredibile quodam amore complexum esse: & memini ejus Clementiam nomen vestrum crebris usurpatum sermonibus, summis ornasse laudibus, tum propter puritatem doctrinæ, tum propter disciplinæ severitatem, tum propter constantiam, quam in utrâque defendenda non sine maximis periculis hactenus declarastis. Ejusdem amoris & benevolentia affectum erga vestram Ecclesiam quasi hereditariè habent ejus Clementia filii, Illustres & Generosissimi Comites Nassovii: qui affectus quò major est, eo vehementior est dolor, quem ex eo percipiunt, quod petitioni vestræ hoc tempore locum dare non possunt.

Petit Vestra Ecclesia Dominum Matthiam **MARTINIUM**, (e) Sacrae Theologiae, Philo-

Dillenburgicæ, Deciensis, & Hadamariensis, qui ab eo tempore vixerunt, Heros qua prudentia, qua pietate, qua fortitudine illustrissimus, fundator Academiæ Herbornensis, quam a. 1584. publico ecclesiæ & literarum bonarum bono consecravit. T. d. H.

(e) Vita maximi hujus Viri præfixa est tertiae Lexici ejus Etymologici editioni, quæ Ultrajecti a. 1697. excusa est, quam conscripsit Gerhardus Mejerus, Theologus tum nostras, eruditione præstantissimus Vir, cuius vel eo nomine lubens mentionem facio, quod ille me adolescentem benevolentia sua atque amore valde complexus est. T. d. H.

sophiæ, & linguarum in Illustri schola (f) Sigenensi professorem, petitis, inquam, ministrum quintum, summo consensu ab Ecclesia electum: à senatu & omnibus approbatum. Verum sic statuunt Illustres Comites Domini mei benigni: Si vestræ Ecclesiæ, & in primis vobis ministris reverendis & Amplissimo senatui status Sigenensis scholæ fuisset satis prospectus atque cognitus: Si Martinium ad scholas & in primis ad hanc scholam natum scivissent: nunquam vos, nunquam, quæ vestra est prudentia & pietas, Martinium ministrum Ecclesiæ vestræ petituros fuisse.

§. II. Existimarunt fortassis quidam cum Illustri & Generosissimo Comite Johanne seniore expiraturam quoque scholam. At Illustris illa & pia anima hoc cavit: cujus beneficio, per Dei gratiam, hæc schola vivet, & floreat: & cum Illustres & Generosissimi Comites filii, etiam benè erga scholam hanc affecti sint, ad posterum facta tecta transmittetur, ut & posteritas omnium seculorum hujus scholæ messe uti frui possit.

Videbatur nonnullis, Academiâ Marpurgensi reformatâ nullum fore, aut perexiguum.
 Class.V. Fasc.IV. A a a um

(f) Scilicet illustris schola Herbornensis, quod illa urbs cum vicino agro ferale lue infestata esset, tum temporis translata erat Sigenam Nassoviorum.
 T. d. H.

um hujus scholæ Nassovicæ usum: at ex eo tempore major est quam antea. (g)

§. 12. Judicarunt fortassis aliqui scholam Domini Martinii operâ carere, vel alium in ipsius locum suffici posse: at, Reverendi & doctissimi Viri, mihi credite, rem longè aliter habere. Totam siquidem scholam à Martinio pendere, manifestius est, quam ut negari possit: discipuli certè pendent ab uberibus ejus: discipuli, Germani, Bohemi, Dani, Galli. Vestra Ecclesia habet ministrum atate & laboribus confectum: (h) Nassovica schola certè habet professorem Johannem Piscatorem non minus ætate grandem, quam Viribus exhaustum: idque creberrimis & assiduis laboribus. Martinium vestra Ecclesia unanimi consensu elegit: Martinium schola Nassovica non minori consensu sibi vendicat, & ut retineat, laborat. Jam si amplitudinem fructuû quos in scholâ laboribus assequitur, in alteram, utilitatem autem Ecclesiasticam in alteram

(g) Tantus enim eo anno bonis literis studentium fuit in ea schola confusus, ut plus, quam quinquaginta Barones & primæ nobilitatis Viri inter eos tum numerarentur. T. d. H.

(h) Mensonem Altingium cujus Theologi; de ecclesia J. C. meritissimi vitam accurate atq; eleganter ab Ulbone Emmio, per insigni Viro literis consignatam, possideo, dignam sane, si quis Bibliopolarum vellet sumtus ferre, ut formis descripta omnium manibus teri possit. T. d. H.

ram quasi libræ lancem ponere voluerimus, id quod scholasticus senatus quam exactissimè & diligentissimè fecit, terram certè ea Lanx, quæ scholasticam utilitatem habet, attinget, præ alterâ: id quod senatus scholasticus liberè, ut dixi, & sincere iudicavit. Denique si dotes Domini Martinii pensitentur, non solum id quod jam dixi, apparebit liquidò, sed etiam manifestum erit, scholam hanc non esse privandam rarâ illâ doctrinâ & imprimis eximiâ docendi, & instituendi discipulos dexteritate. Habet profecto eximia dona docendi in Ecclesia, sed quæ talentum scholasticum longè superat. Hoc sub terram fodere quî posset bonâ conscientia? Certè non posse, jam edoctus est à senatu scholastico.

Harum omnium rerum quum ante electionem certam cognitionem in urbe vestrà habere non potuistis: mirum non est vos de ecclesiæ emolumento sollicitos, tanto consensu Dominum Martinium ministrum exoptasse. Nunc autem ubi dubium vobis esse non potest, sine lethali Vulnere scholam Martinio privari hoc tempore non posse, sperant Illustres Comites vos ægre non laturos, quod summa necessitate coacti, Martinii copiam vobis denegare cogantur; idque ut faciatis omnes pii etiam atque etiam orant & obtestantur. (i)

A a a 2

§. 13.

(i) Non tamen hæ litteræ impedire potuere, quin Emdam concederet Martinius, ibique in ministerio verbi fidelissime per tres propemodum annos versaretur, donec a. 1610. a Proceribus patriæ meæ ad illustres

§. 12. Non erit hoc cum detrimento ecclesie vestrae conjunctum: Siquidem Dei providentia alium vestrae ecclesie fidum operarium offert. Est quidam ecclesie minister in Palatinatu Josephus Frisius, Silesius: qui aliquot annis Heidelbergae, non minus pie & fideliter, quam erudite docuit: Vir non solum pietatem & religionem veram, sed etiam artes egregie doctus: Linguarum imprimis latinae & Graecae peritus, Hebraicae & aliarum non imperitus: Ecclesiis tamen quam scholis aptior: illum spero ecclesie vestrae utilem operam praestare, & si vocatio intervenerit, velle facile etiam ab Electorali Palatinatu, Domini Pitisci & aliorum auxilio, obtineri posse, ad quam rem, ut ad alia omnia, mea qualiacunque officia Vestrae ecclesie defero. - Caeterum de pia doctrina, & docta pietate caeterisque donis ad ecclesie aedificationem necessariis, quibus Deus hunc Josephum Frisium instruxit, testari possunt Reverendi Viri, & in Christo fratres M. Daniel (k) Marcellites, &

M. scholae gubernacula vocaretur, ad illum Senatorii Ordinis viro Joh. Davemanno cum in finem ablegato: quae etiam per viginti annos ad annum emortualem 1630. maximo cum hujus Lycei emolumento moderatus est. T. d. H.

(k) Hic Daniel Marcellus, natione Hungarus, primarius aedis D. Virginis, in qua ego nunc doceo, in locum Christophori Pezelii, a. 1604. electus, Bremae eodem hoc tempore, quo haec literae exaratae sunt, mense Martio a. 1607. aliorum abiit. T. d. H.

M. Lampadius, Bremensis ecclesiae ministri.

Dominus Jesus fideles cooperarios largiatur, vestrisque laboribus uberrime benedicat, ad nominis sui gloriam, & ecclesiae salutem. Dillenberga, 15. Febr.

Anno 1607.



VII.

Nova historico-Theologico-literaria.

HARDEROVICI ipsis Junii Iidibus Ordinariam Juris professionem in inclyta hac ducatus Geldriae & Comitatus Zutphaniae Academia solemniter auspicatus est Vir Cl. J. F. W. Pagenstecher, famigeratissimi JCTI Groningani A. Alex. Pagensteheri digna propago, oratione habita, impressaque de lege regia Apostoli Jacobi, qua de justitia & amore duobus omnis juris & societatis humanae fulcris eleganter & copiose differit.

AMSTAELODAMI ad d. XI. Maji fatis functus est Cl. Vir Gerbrandus van LEEUWEN sa-

Aaa 3 .d821 .finaera.

crarum literarum in hujus urbis ecclesia & Gymnasio Professor. Vitalem ille auram primum hausit Goscopii, qui Hollandiae prope Goudam pagus est, patre usus, illius loci ecclesiae ad d. IX. Sept. a. 1643. Lugduni Batavorum cum a. aet. XXI. in ordinem Candidatorum receptus esset, sequenti anno 1665. Velsam, qui amoenissimus multisque civium Amstelodamensium praediis nobilitatus vicus est, atque inde a. 1671. Amersfordiam, & deinceps Harlemum a. 1678. & tandem a. 1681. Amstelaedamum ad obeundum ministri verbi divini munus vocatus fuit. Quam spartam cum egregie ornaret, accessit, a. 1686. dignitas Professoris Theologiae. Illibata ac firma per omnem vitae cursum fere usus valetudine ante biennium circiter gravi morbo correptus, illi tandem succubuit. Edidit Belgicè.

1. Libellum in epistolam ad Romanos 1664. 8.
2. *Muyderbergs herbouwde Kerckgevaarte*, (i. e. concio in locum Exod. XX: 24. qua instauratam sacram Muyderbergensem aedem dedicavit,) met een toegift voor de godvrugtighe Moeders tot onderwys van hare Kinderen. Amst. 1686. 12.
3. Orationem inauguralem, de *Mose*, fundamento eorum, quae deinde tradita sunt. Amst. 1686.

4. Comment. in Epist. ad Romanos. Amst. I. & II. pars. 1688. 4. III. & quarta a. 1699. 4.

5. Comment. in Acta Apostolorum. Amst. 1704. 8. 2. Vol. Germanice versum editumque Bremae, 1708. 4. Hunc librum ab auctore auctum prelo Gerhardi van der Linden mox recusum iri nuntiatur.

In hac urbe fratres WETSTENII, pulcherrimorum operum editionibus praeclare de re literaria quotidie merentes novam Patrum Apostolicorum olim a J. B. Cotelerio & J. Clerico curatam *ἐκδοσιν* moliuntur.

LONDINI ad d. XVII. Septembris vitam posuit episcopus Herefordiensis Philippus BISSE, in cuius locum suffectus est Benjamin HOADLY, Episcopus Bangorensis non uno nomine famigeratissimus, qui successorem nactus D. REINOLDS. Pariter Nathanael CREW, LXXXVIII. annorum senex, in praedio suo *Steane*, qui comitatus Northamptoniensis vicus est, qui jam regnantibus Carolo II. & Jacobo II. secretis regni consiliis admotus fuit. A. 1671. factus episcopus Oxoniensis, & a. 1674. Durhamensis, exeesit e vita. Successorem nactus est D. TALBOT, episcopum Salisburiensem, cui successit Dr. WILLIS, Glocestriensis ecclesiae Praesul, quae nunc demandata est Dr. WILKOX. In Hibernia quoque eodem mense vitam posuit D. EVANS, episcopus Meathensis.

HERBORNÆ Nassoviorum Cl. *Schram-
mio*, quem Marburgum concessisse supra nar-
ravimus, successit Vir Cl. *Georgius Henricus
CALKHOFIUS*, Philosophiæ & literarum hu-
maniorum Professor, qui sibi successorem na-
ctus est Virum Cl. Johannem *Eberhardum
RAU*. Uterque jam muneris sui initium fe-
cit Orationibus publice habitis, Ille enim de
Obumbratione Virtutis Altissimi, hic de *Germanis
Philosophis & Polyglottis* dixit. Pariter ad d.
IV. Kal. Novembris Vir Celeb. Abrahamus
PUNGELERUS, (de quo vide Classis hujus
fasc. I. pag. 165.) pro felicibus Rectoratus au-
spiciis Orationem pronuntiavit de *sermonibus
sanantibus Domini nostri Jesu Christi*, quae mox
typis excusa prostabit.

BEROLINI regium Gymnasium Joachimi-
cum dictum, ingentem nuper jacturam fecit
praematura morte Pauli VOLCKMANNI, SS.
Theol. & Philos. Doctoris, atque ejusdem
Gymnasii Professoris ac Rectoris, quae eum
4. Kal. Novembr. hujus anni rebus mortalium
exemit. Natus ille fuerat Bremæ Cauco-
rum ad. d. 18. Martii a. c1694. honesta-
te magis, ac virtute, quam famosis majorum
imaginibus commendandis parentibus. Pri-
mus ille scholae Fridericianae, quae Franco-
furti ad Viadrum est a. 1694. constitutus Re-
ctor eam ita moderatus est, ut brevi tempo-
re vicinis fere scholis omnibus palmam prae-
riperet. Philosophiæ Magisterii honore
Kal.

Kal. Jul. a. 1695. ornatus, *Philosophiae* professionem *extraordinariam* Idibus Octobris a. 1698. in eadem Academia ex Principis decreto suscepit. Hic cum per integrum septennium vixisset, sequens sexennium Crosnae Silesiorum dicavit, ibi enim inde a die XI. Decembris a. 1701. *Pastoris*, quem ibi *Praepositum* vocant, ecclesiae St. Andreae, munere functus est ad annum usque 1707. In quo, qui primus erat Gymnasii Joachimici Jubilaeus, ad d. 5. Septembris, muneri Rectoris ac sacrarum literarum Professoris inauguratus est, posteaquam summos in Theologia honores in Jubilaeo Academiae Francofurtensis ad d. XXVII. Aprilis suscepisset. Deinceps & regii Bibliothecarii titulo auctus, & in collegium regium scientiarum, quod Berolini floret, receptus est. His muneribus cum summa cum laude per XIV. annos praefuisset, morbo repentino correptus dicto die mundo valedixit Vir doctus, pius, pacis amans, & ad labores impiger. Praeter plurima carmina, quorum elegans atque peritus erat artifex, Ipso curante atque urgente prodire *Grammatica*, tam latina, quam Graeca, & *Rhetorica Marchica*; *Dissertatio* inauguralis de *profundo Cognitionis divinae*, & *Theses Theologicae Syntagmatis L. Crocii*, Theologi Bremensis ordinem doctrinaeque referentes, ac *Reformatarum ecclesiarum imprimis MARCHICAE confessionibus congruentes*. Col. Brandenb. 1712. 8. quas tamen *Pacificus* quidam *Verinus* singulari scripto adortus est, cujus ti-

tulus: *Pacifci Verini amica collatio doctrinae de gratia, quam vera ecclesia confitetur, cum doctrina, quam D. Volckmannus cum spetioso titulo thesium Theologicarum Marchicae confessioni inprimis congruentium a. 1712. publici juris ferit.* Uxorem habuit, sed nullos liberos, hinc quatuor mille Imperialium redditus annuos supremae voluntatis tabulis suae familiae adolescentibus, bonis literis operam daturis legavit.

FRANCOFURTI ad Viadrum Cl. *Arnoldus WESENFELD*, cujus sororem in matrimonio habuit *Volckmannus*, itidem popularis meus, Philos. Practicae Professor Ord. & primarius, civitatis hujus Consul, & cum maxime Academiae Rector, non unis piis doctisque scriptis orbi erudito notus, totus in eo est, ut doctrinam moralem ad altius fastigium evehat, illius per gentilium ethicam corruptae fontes ostendat, eam ex purioribus fontibus, sacro nimirum codice, hauriendam inculcet, & ad Christianam praxin accommodet. Post varias super eo negotio dissertationes editas nuper hoc consilium vernaculo exposuit tractatu; *Versuch/ wie die Sitten-Lehre oder Morale unter den Christen zu verbessern/ in einigen vorläuffigen Gedancken der Christ-vernünfftigen Welt vor Augen gelegt durch Arn. WESENFELD; Franckfurt an der Oder. 1721. 8. 10. plag.* Vir celeb. OUZEELIUS, Theologiae Professor post varias de Decalogo, sc. ejus nominibus atque auctore, de illo soli Israeli dato vul.

vulgatas dissertationes ad d. XX. Maji hujus
 anni de *natura* ejusdem dissertationem primam
 publicae disquisitioni exposuit, quam duae
 aliae de hoc argumento sequentur. Occupa-
 tus praeterea est in solemnibus *Judaeorum pre-*
cibus, quas in coetibus publicis intra cujusvis
 anni circulum fundere solent, ex Ebraico idio-
 mate in Latinum convertendis, quae variis il-
 larum editionibus invicem collatis, & discre-
 pantibus observatis, notisque illustratae lucem
 adspicient. In hac urbe quoque sub auspiciis,
 & censura Reverendissimi Viri J. E. *Jablonskii*
 Judaeorum Talmud imprimitur omissis tamen
 iis, quae contra Jesum Christum, Benedictum
 in saecula virulenter & impie scripta sunt.
 Parcius tamen id futurum spero; Neque
 enim impudentissimis ineptisque verporum
 calumniis quidquam detrimenti sanctissimae
 fidei nostrae puto accedere posse. Et ex ipsis
 illorum figmentis coruscae saepe emicant ve-
 ritatis scintillae. Synagogae Judaicae Pra-
 gensis Rabbini primarius Oppenheimer,
 exemplar in membrana facit imprimi, quod
 plus M. imperialibus constabit, inferendum
 Bibliothecae ejus, quae Hanoverae in concla-
 vi, quod Synagogae imminet, visitur.

COTHENAE Anhaltinorum *Christianus*
Friedelius coetus hujus urbis Reformati mini-
 ster, pietate juxta ac doctrina commendan-
 dus, qui concionibus, Halae Venedorum a.
 1711. in selectos sacrae scripturae textus, maxi-
 me

me propheticos, sub titulo: *Wolcke der Zewgen &c.* editis, notus est, jussu Serenissimi Principis Anhaltino-Cotheniensis LEOPOLDI novam editionem Concionum typicarum, (*der Geheimniß-Predigten*) M. Danielis SACHSII (a) Antistitis quondam ecclesiarum Cotheniensium, quae a. 1653. in forma quater partita Cothenis lucem adspexere, suscepit. Operam itaque dedit, ut non solum nitidius, accuratiusque, sed & indicibus necessariis instructae prodirent. Praemisit praefationis loco B. auctoris vitam ex ipso autographo depromptam, quam considerari vult tamquam prodromum plenioris operis, quod molitur, *Historiae nempe ecclesiasticae Principatus ANHALTINI inde a temporibus emendatorum sacrorum, ad nostra, quae nunc vivimus, cui praestantissimorum, qui in illa provincia vixerunt, Theologorum vitas inseret.*

HAMBURGI tandem prodiit altera, quam Cl. IV. p. 1093. annuntiavimus, editio praestantissimi libri, cujus editionis prioris ἐπιτομὴν. Cl. III. fasc. V. sect. 7. p. 834. sqq. tradidimus. Titulus hic est: *Jo. Laurentii MOSHELM Vindiciae antiquae Christianorum disciplinae, adversus celeberrimi Viri Jo. TOLANDI, Hiberni, Nazarenum. Editio secunda, priori longe auctior. Accedit de vita, fatis & scriptis Jo. Tolandi commentatio. Praefationem, qua Atheismi calumnia* às.

(a) Perperam hunc inter Lutheranos recenset Jacobus le Long in Biblioth. S. T. p. 675. T. d. H.

à s. scriptura depellitur, praemisit Jo. Franciscus
 BUDDAEUS, Theol. D. & in Academia
 JENENSIS P. P. Hamburgi 1722. 1. Alph. 8. pl.
 Ut constet, quibus accessionibus iterata pul-
 cherrimi libri editio locupletata sit, ipsa au-
 ctoris verba ex praefatione adscribam; *Nova*
est, inquit, de vita fatisque celeberrimi (scripsis-
sem potius famosissimi, neque enim titulum,
qui Viris datur rebus praeclare gestis meritis-
que inclutis, illi convenire dicas, qui turpis-
simo ausu omni religioni apertum bellum in-
dixit) adversarii commentatio. Novae etiam
sunt Sectiones secunda & tertia, quarum illa contro-
versiam de caerimoniarum a Mose imperatarum ab-
rogatione ex instituto pertractavi; hac divina li-
brorum novi foederis auctoritatem eo modo adserui,
ut non tantum quaestionibus à Tolando propositis sa-
tisfecerim, verum etiam ea, quae antea in Amyn-
tore disputaverat, ob adfinitatem utrorumque ex-
cusserim. Prima quoque sectio, quibus antea care-
bat, nunc plurima habet. In praeparatione duas
de Judaeis quaestiones a Tolando propositas dissolvi
ac simul de Republica ejus Mosaica, quam parturit,
sententiam dixi; ut accessiones alias, non tanti
momenti taceam. Animadversiones in particulas
Evangelii, quod vocant, Barnabae multis modis
auxi, iisque locum magis opportunum & peculia-
re caput attribui. Quaestionem; num Turcae Hi-
storiam quandam Christi in divinis suis libris nume-
rent? quam antea tantum attigeram, diligentius ex-
cussi, negandamque esse, capite quarto toto demon-
stra-

stravi Sententiam de Nazaraeis, quam tueor, paulo explicatius proposui, ac uberius, quam antea factum erat, illustravi; & quae sequuntur. Neque his finibus coerceri potuit laudatissimi Viri diligentia, & egregium de publico bene merendi studium. Eodem enim hoc tempore preli carceribus liberatus publicam lucem adspexit. Ejusdem *Observationum sacrarum & historico-Criticarum Liber primus*. Accedit *Oratio ejusdem, de eo, quod nimium est in studiis linguarum & Critices*. Amstelædami. 1721. 8. Capita, quae in hoc libro tractantur, haec sunt I. De eo, quod justum est, circa SS. *Litterarum ex Graecis & Latinis scriptoribus interpretationem & emendationem cogitationes*. II. *Explicatio nova dicti Luc. II: 14.* III. *Illo exquiritur, quorum praecipue e Christi sectatoribus mortem Marcus Imperator irriserit; simulque ad afflictionis Lugdunensis aera constituitur.* IV. *De vera aetate legationis Athenagorae pro Christianis.* (b) V. *Meditationes de EBIONE.* VI. *De existimatione celeberrimi Philosophi, APOLLONII Tyanaei.* VII. *De scriptis APOLLONII TYANAËI Spicilegium.* Accedit *Oratio, cujus titulum jam memoravimus.* Viderit autem Cl. Auctor, an & hac oratione, & illa quae primo loco occurrit, dissertatione, cuidam curiosiori occasionem praebiturus sit conscribendi exercitationem, de eo, quod nimium est, in carpen-

(b) Vellem sane hujus editionem quae in hac Bibl. Cl. II. Fasc. V. p. 853. sqq. legitur, heic loci non fuisse repetitam.

dis aliorum studiis, quae Criticae & linguarum studiis, & SS. literarum ex Graecis & Latinis scriptoribus interpretationi dicantur. Plures enim causas nobis esse, ut de nimis parva his rebus impensa opera, quam nimia conqueramur, plusque haecenus in defectu, quam excessu peccatum esse, neque tam fraeno, quam calcaribus haec opus esse, omnino mihi persuasissimum est. Ceterum non magis (verbis utor summi hujus aetatis Virorum J. Fr. BUIDDEL, quae in praefamine Vindiciis anti-Tolandianis praemisso leguntur) alterius cujuscquam, quam mea, libri hi commendatione indigent, cum documentis luculentissimis prorsusque egregiis comprobatum sit, nihil nisi exquisitum, summo studio selectum, nec minori diligentia elaboratum, a MOSHEMIO proficisci posse. Scioque elegantiam potius, quam veritatem ab unoquoque, qui Moshemium noverit, desideratum iri, in illis distichis, quae his diebus imagini ejus adscripti;

Delitias Pindi, pulcrosque Sionis amores,

MOSHEMII faciem, picta tabella refert.

Grandis, & in gracili mens enthea corpore spirat,

Spirat in exiguo Bibliotheca Viro.

Si numeras annos, JUVENEM; si scripta, labores,

Actaque; grandaevum dixeris esse SENEM.

Plaude Viro, & tantam non negliges, CIMBRIA,
gazam,

Huic tibi vix similem saecula longa dabunt. T. d. H.

ULTRAJECTI vir pietate & eruditione insignis David MARTIN, ecclesiae hujus urbis Gal-

Gallicae Pastor, ad d. IX. Septembris mensis hujus anni, qui vitae erat tertius supra octuagesimum, decessit, altero die ab illo, quo non sine singulari promptitudine atque Zelo publice e rostris sacrationibus dixerat. De ejus vita scriptisque uberius differendi alibi occurret locus. Sextus dies Januarii exeuntis hujus anni, Viro Cl. Melchiori LEYDEKKERO (de quo vide Cl. III. fasc. I. p. 158. sq.) emortualis fuit postquam octuagesimum vitae annum, si tribus tantum hebdomadis superfuisset, attigit. (c) Antequam ei cathedra Theologica in hac urbe demandata fuit, quod factum die XXVI: April. a. 1678. oratione habita de *se-ctanda veritate in amore* ad locum Eph. IV: 15. per integros annos quindecim gregem Dominicum pavit in Renisse & Nortwelle, qui Selandiae pagi sunt. A. 1690. à Groningensibus, ut in illorum Academia sacras literas doceret, frustra expetitus fuit. Quam plurimis libris, quorum longe maximam partem citato loco exhibuimus, non minus ac litibus (d) literariis, quae ei cum Petro Allinga, Johanne

Vla-

(c) Natus enim est d. XXV. Jan. a. 1642. quod ipse manu sua, cum viveret ad me perscripsit. Ita ut corrigendum esse dicas, quod alibi legi, eum ejusdem anni die 21. Martii fuisse natum. T. d. H.

(d) Has ego cum cogito, vix teneor, quin illud Virgilii huc transferam;

*Hi motus animorum, atque haec certamina tanta
Pulveris exigui jactu nunc pressa quiescunt.*

T. d. H.

Vlackio, Balthasare Beckero, Theologis Fra-
nequeranis, Friderico Leenhofio, aliisque in-
tercesserunt, fama illius longe lateque incre-
buit. Vir erat eruditus, & ore & manu
promptus, in laborando indefessus, lectionis
diffusae, erga peregrinos, quod meo ego do-
cere exemplo possum, expositae humanitatis,
novitatum, inter quas peculiare Joh. Cocceji
opinionem numerabat, hostis acerrimus, Or-
thodoxiae tenacissimus. Atque in hoc mo-
dum aliquando vix tenuisse, visus est non-
nullis. Sed illud temporum illorum infeli-
citati tribuendum est. Fratrem habuit eccle-
siae Medioburgensis Ministrum, Jacobum
Leydeckerum, doctum Virum, cujus quoque
scripta nonnulla Theologorum manibus te-
runtur.

LEMGOVIAE nuper prodiit libellus, qui
hunc in fronte gerit titulum; *Vis veritati illa-
ta, juste retorta, sive defensio justa vindiciarum,
animadversionibus ac nuper editae dissertationi pa-
rum modestae, thesibusque miscellaneis, λοιδοειων
plenis oppositarum D. Johannis MEIERI, Professoris
in Batavis, accurante CLASINGIO; Lemgoviae
1721. 4. pl. 14. plag.* Est haec responsio apo-
logetica contra illud celeberrimi Harderovi-
censium Theologi scriptum, cujus titulus ex-
hibitus fuit Cl. IV. p. 1136. Occasionem,
quae his disceptationibus data est, narravi-
mus Cl. I. pag. 936: sqq. & Cl. II. pag. 381. sq.
Optavissimus huic velitationi tandem fixum
Cl. V. Fasc. IV. Bbb fuisse

fuisse terminum. Et haec sane bella, quae inter Viros Fratres, populares, longo amicitiae usu conjunctos, eosque Theologos geruntur, bella sunt *illos habitura triumphos*. Quamvis variae, quae circa res Philologicas agitantur, quaestiones, non sine fructu hęc legantur.

ULTRAJECTO ita ad me amicus: Binas priores philyras *Flavii Josephi* operum, quae Lugduni Batavorum jam sub prelo sudare coeperunt, cum singulari animi voluptate perlustravi. Nullus dubito, quin haec editio reliquis omnibus palmam sit praereptura. Literarum singularis est nitor. Nec parum lectoris commodis consultum est, quod notae sub textu non, uti in Hudsoniana editione una ferie pergant, quod crucem oculis in typis numerorum tam minutis figit, sed singulae cum nova linea incipiant. In illis notis doctissimae Relandi & aliorum ineditae singulare ornamentum praebent. Accedit *conspectus Chronologiae Flaviana*e magno Lectorum commodo adornatus. Faventio rem ergo huic Josephi editioni Lucinam, quam qualem tot aliae nactae sunt, merito res publica literaria precabitur. In nostra typographia Rhenferdii opera carceres mordent. Dissertationes Celeberrimi Viri J. J. HOTTINGERI Historico Chronologicae, quarum mentionem Cl. IV, fasc. VI. p. 1083. injecisti, hęc loci jam prela exercent.

MEDIOBURGI Mattiacorum amplissimi
 Proceres provinciam profitendi publice
 Theologiam, quam morte sua in ill. urbis
 schola nuper fecisse vacuum Cl. Johannem
 Biermannum nuntiavimus, tradidere Viro
 pietate & doctrina insigni *Alberto VOGETIO*
 Bremensi, qui hac aestate munus quoque do-
 cendi in ecclesia orsus est. Brevi illius mu-
 neris initium faciet Oratione inaugurali de
vera sacrificii Jesu Christi ratione & natura ex causis
quae sapientissimo Legislatore constiterunt, quod
pisces immolari non jusserit, eruta. In eadem hac
 urbe mysteriorum divinorum Interpres do-
 ctissimus *Carolus TUYNMANNUS*, cujus
 contra hujus aetatis Libertinos, sub praetex-
 tu pietatis Spinofisticos, i. e. teterrimos erro-
 res foventes, insignis zelus ac opera eminuit,
 opus Etymologicum molitur, in quo Belgicae
 vocabula maximam partem ad fontes Hebrai-
 cos, Graecos & Latinos reduxit, collatis,
 Germanicis, Saxonis, Teutonicisque vetu-
 stis. Quo labore ne nos diutius carere patia-
 tur, etiam atque etiam rogamus.

LONDINI vir Celeberrimus *David WIL-*
KINS, Germanus, Canonicus Cantuariensis,
 & Reverendissimi *WILHELMI*, Cantua-
 riensis Archiepiscopi à sacris domesticis & Bi-
 bliotheca in *Joh. SELDENI* operibus dige-
 rendis atque ad prelum parandis occupatus
 est. Quatuor illa continebunt volumina,
 quorum duo priora omnes ejus libros Angli-

co, reliqua Latino sermone conscriptos complectentur. In vita ejus conscribenda jam totus est, quem laborem lubens à se fuisset amolitus ob difficilia tempora, in quibus Seldenus inter literatos Angliae principatum tenuit; sed ne opus imperfectum erudito orbi offerret, amicorum precibus permoveri se passus est, ut eum in se susciperet. Societas autem quae promovendae fidei Christianae in exteris regionibus curam in se suscipit, impressionem N. T. & Psalterii Arabici, de qua Cl. IV. fasc. IV. Sect. 7. actum est, decrevit. Eum in finem colligentur nummi, qui ad promotionem operis requiruntur. Collectores nominati sunt sequentes: Mr. *John BENNETT*, Esquire, Master in Chancery, Mr. *BOEHM*, Dr. *BRIDGES* ArchDeacon of Rochester, *Whitloke Bullstrode*, Esq. *John CHAMBERLAYNE*, Esq. *Daniel DOLNIS*, Esq. *Thomas FREKE*, Esq. *Thomas GREENE*, Esq. *Henry HOARE*, Esq. *Edward JENNINGS*, Esq. Dr. *KING*, Master of the Charterhouse *Henry LOVIBOND*, Esq. Master in Chancery. M^r. *MAYO*, *John MELLER*, Esq. *John ORLEBAR*, Esq. Mr. *PEARCE*, Chaplain to the Lord High Chancellour, Sir *John PHILIPS*, Bart. Mr. Phute. Dr. *STANLEY*, Dean of St. Asaph. Mr. Archdeacon *TENISON*, Dr. *WADDINGTON*, Sr. George *WHEELER*. Dr. *WILKINS*, Chaplain to the Lord Archbishop of Canterbury. Imprimuntur octo mil-

millia exemplarium literis novis & elegantibus. Unumquodque exemplar vendetur involucro vestitum sex Assibus, sive Schellingis Sterlingicis; Unde colligi potest ad executionem consilii tam salubris connumeratis omnibus impensis requiri summam 2400. librarum Sterlingicarum, quae summam Joachimicorum nostrorum faciunt circiter 13200. Literae, in quibus de utilissimi hujus instituti necessitate ac modo dictum est, singulari tomo collectae editaeque sunt, cujus sequens est titulus. *An extract of several lettres relating to the great charity & usefulness of printing the New Testament & Psalter in the Arabick Language, for the benefit of the poor Christians in Palestine, Syria, Mesopotamia, Arabia, Egypt & other Eastern Countries With a proposall for executing so good an Undertaking.* London. 1720. 8. pagg. 27. Celeberrimum Virum Joh. GAGNIE-RIUM novam, accuratam summoque studio concinnatam *Mahometis* historiam in forma majori imprimendam moliri accepimus.

Jo. Arn. NOLTENII. D.
& Regii in aula Berolinensi
Sacrorum administri,

A D

Theodorum HASAEUM
Epistola.

Noltenius Hasaeo suo S. P. D.

Caleb. la Crozium improbo labore Lexicon Ægyptiacæ linguæ collegisse, nuper me tibi narrasse memini. Licuit mihi nunc esse tam beato, ut hunc thesaurum oculis meis usurpaverim. Vir ille, qui cum summa eruditione summam conjunxit modestiam, Lexicon istud benevole mecum communicavit. Rei literariæ maxime puto interesse, ne diutius hujus libri fructu careat orbis eruditus. Te itaque summopere rogo, ut Titulum præfationemque Bibliothecæ Tuæ inseri cures. Saliva, nisi me omnia fallunt, movebitur omnibus, (a) qui bo-

(a) Ita sane est. Nemo enim tam literarum rudis est, ut nescire possit, vel, quantum lucis sacro Codici, linguæque Hebraicæ, reliquisque orientalibus, veterique literaturæ ex linguæ Ægyptiacæ uberiori cogit-

bonas amant literas, ut Dictionarii hujus editionem promoveant. Cum Auctore, cui hæc furripui, in gratiam facile redibo. Titulus hic est.

LEXICON ÆGYPTIACO-LATINUM, ex veteribus illius Linguae monumentis summo studio collectum & elaboratum a Maturino Veyssiere LA CROZE.

(Psal. LXVIII. 32. Æthiopice & Coptice.)

Berolini, Anno Christi D. N. MDCCXXI.

Præfatio.

CUM vix sperare possim in deplorato hoc literarum statu, fore ut Lexicon meum Ægyptiacum in publicam lucem exeat, huc
Bbb 4 nihil

gnitione accendi queat, vel quantum a summo ingenio, atque eruditione in hoc quoque studiorum genere rarissima LA CROZII expectari debeat. Quamobrem nullum mihi dubium est,

Quin, quantum est hominum eruditiorum, in eo sit conspiraturum, idque acturum omni contentione, ut quamprimum, quam nitidissima tam exopta-

nihil admodum de illius linguæ usu & necessitate afferam; de quibus tamen alibi fufe agere statui, in Grammatica nempe Ægyptiaca, cui incipiendæ & perficiendæ post paucos hosce dies manus admovebo. Interim tamen, si quid mihi humanitus acciderit, antea quam id quod molior, reffecero, nihil inde Lexico meo jacturæ accidet, ita videlicet comparato, ut etiam sine ullo præceptorum Grammaticorum usu, lectorem sedulum non contemnenda illius linguæ cognitione imbuere possit.

Erunt forte, qui mirabuntur linguæ illius, quam adeo sterilem multi eruditorum censent, Dictionarium in tantam molem excrevisse, demtis præcipue vocibus omnibus Græcis, a quibus recensendis studiose & opera data abstinui; Nec enim ulli usui hic fuissent, cum certo sciam, vix ullum hominem fore, qui linguæ Ægyptiacæ cognitionem sibi parare valeat, nisi Græcas literas antea didicerit. At eos scire velim, ingentem quidem Græcarum vocum numerum in sacrorum librorum versionem Ægyptiacam irrepsisse; nec tamen id verum esse, quod Cap. XV. Lib. I. Phalegi scripsit eruditissimus Bochartus, quem subinde complures alii descripserunt *Coptorum dialectum*

optati libri editione beetur res literarum publica. Id autem quam facillime per modum subscriptionis, cuius usus ab aliquo inde tempore in valessere cœpit, fieri posse existimo. T. d. H.

Etum multo plura habere Græca vocabula, quam Ægyptiaca.

Ne dicam Psalmos nonnullos occurrere, capita etiam quædam Novi Testamenti, ut caput primum primæ Epistolæ Johannis, in quibus ne una quidem vox Græca legatur; nullæ fere sunt Græcæ voces, in libris Ægyptiacis, quæ non alibi Ægyptiace occurrant. Tales sunt ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ, cujus loco ΘΝΟΥΤΙ commodè dixeris ΑΓΓΕΛΟΣ cui voci Græcæ respondet Ægyptiaca ΡΟΥΝΕΝΣΟΒ; sic vox ΚΩΤΗΡ tribus vel quatuor Synonymis Ægyptiacis in Lexico meo exprimitur, ut plures alias voces taceam, quas Lexici usus & sacrorum librorum lectio studiosos illius linguæ docebunt.

Jam, quando ut supra monui quicquid attinet ad linguæ illius utilitatem, ad Grammaticam Ægyptiacam rejecerim, ubi commodus erit ea de re disputandi locus, nihil mihi videtur modo superesse, nisi ut paucis agam de iis, quæ in hoc opere meo continentur.

Non voces modo Græcas, quæ nihil immutatae in Ægyptiorum libris leguntur, e Lexico meo sustuli, verum etiam & illas, quæ detortæ a fontibus Græcis aliam faciem induerunt, ita tamen ut levi studio agnosci possint: quales sunt ΕΤΙΝ, pro αἰτῖν, ΕΤΗΜΑ pro αἴτημα, & pauca quædam alia ejusdem generis. Alias insuper voces recensere nolui, cujusmodi sunt χῆρα vidua, χῶρα regio, & aliæ non ita paucae,

etsi de Ægyptiaca earum origine vix dubitem: nonnullas enim voces prisca Hellenismus a veteribus Græcis certo certius accepit; quæ de re alibi agere animus est; si mihi Deus O. M. otium & vitæ aliquot annos benigne concesserit.

Subjuncti vocibus communis Ægyptiorum linguæ, secundum ordinem literarum *collectionem vocum Dialecti Sabidicæ*, sive superioris Ægypti, ex pauculis illius Dialecti monumentis excerptam. Utinam porro plura ad manum fuissent. Fragmenta quædam novi Testamenti hac dialecto scripta Oxoniæ vidit *Wilkinsius*, qui ea in Præfatione editionis suæ Novi Testamenti recensuit. Ex eadem Oxoniensi Bibliotheca amicus meus eruditissimus & linguæ Ægyptiæ peritissimus *Paulus Ernestus* (b) *Jablonski*, Professor sacre Theologiæ Francofurtanus, libellum descripsit ab anachoreta quodam fanatico Ægyptio, qui sexto vel septimo seculo vixisse videtur, eadem dialecto scriptum *de Mysteriis literarum Græcarum*; ex quo libello, dum pluribus frui detur, uberem satis Dialecti illius cognitionem hausit. Cæterum ex variis Veteris Testamenti locis in eo mysteriorum libro allatis & descriptis constare videtur sacrorum omnium librorum versionem hac Dialecto olim extitisse; quæ & forte hodie in veteribus illius regionis Monasteriis superstes asservatur.

Lon-

(b) Vide Classis hujus Fasc. II, p. 373.

Longe plura & majora subsidia habui in Dialecto communi Ægyptiorum. Nimirum optimo & antiquo codice *Psalmorum* usus sum, ex Ægypto in Europam allato a *Theodoro Petro*, Cimbro, viro erudito, cujus MSSorum Orientalium pars quædam, ab heredibus post ejus obitum vendita, in Bibliothecam Regiam Berolinensem delata est. *Evangelia* præterea habui *Matthæi*, *Marci*, *Luce* & *Johannis* capita quedam ex antiquis codicibus ab eodem Petro descripta: item *Epistolas Pauli* omnes, una excepta ad Galatas, quas vetustus codex Ægyptiaco-Arabicus exhibet ex ejusdem Petri bibliotheca. Ejus etiam fuit *Lexicon vetus & nitidum Ægyptiaco-Arabicum vocum Novi Testamenti*; quem codicem mihi magno usui fuisse agnosco. (c)

Præter eos libros, quos modo recensui, tribus Ægyptiorum, *Liturgiis* usus sum, *Basilii*, *Gregorii* & *Cyrilli*; Ultimam ex pulcherrimo codice Hinckelmanniano, nunc Morgenwegiano descripsi, cujus mihi copia facta est opera amicorum meorum optimi & doctissimi *Johannis Christophori WOLFII*, Ecclesiastæ Hamburgensis ad fanum S. Catharinæ. Ceteras descripsit Lugduni Batavorum ex vetustis Bibliothecæ Academicæ codicibus, carissimus meus *Paulus Ernestus JABLONSKI*, mihi nun-

(c) Nonnulla, quæ heic inserta sunt, deliberato consilio omisi, T. d. H.

nunquam sine honoris & benevolentiae præfatione nominandus.

Ab eodem *Jablonskio* habui caput primum Libri Geneleos, & ex ceteris capitibus excerpta quædam optime digesta: Exodi præterea capita undecim priora, additis excerptis usque ad caput vigesimum quintum, cujus novem & decem versus descripsit, ceteris omissis ob temporis angustias: item tria priora capita Danielis Prophetæ, addito Cantico trium puerorum: excerpta præterea quædam ex officio Ægyptiaco Hebdomadis sanctæ, ubi plurimæ lectiones occurrunt ex Prophetis, Proverbiis Salomonis, Libro Sapientiae, Ecclesiastico Jesu filii Sirach, & particulæ quædam Homiliarum Chrysoptomi, Athanasii, Shenutii Abbatis Ægyptii, nonnullaque alia, quæ Lexicon meum plurimarum vocum copia locupletarunt. Huc accedunt excerpta parum copiosa, quod dolendum est, ex libro precum Ægyptiaco, ex Theotokia & Doxologia libris Ægyptiorum Ecclesiasticis, qui una cum plurimis aliis in Bibliotheca Segueriana servantur.

Ne quid omittere videar, Canonem lectionum annuarum ab eodem *Jablonskio* habui descriptum in Bibliotheca Regia Parisiensi, in fine codicis antiquissimi quatuor Evangeliorum in membrana scriptorum a Michaële Episcopo Damiatensi, anno martyrum DCCCXCVI. Christi MCLXXX. Utinam
por-

porro pluribus subsidiis instructus fuisset: nec enim nega vero plurimas in Lingua Ægyptiaca superesse voces mihi adhuc incognitas, cum in eos libros nondum inciderim, in quibus majorem vocabulorum copiam contineri necesse est. Attamen ea mihi scripsisse videor, quæ veram ἀνάσσειν jam pridem mortuæ Egyptiorum linguæ contineant, nec puto fore ut quisquam candidus alienorum laborum æstimator, qui Lexico meo usus fuerit, aliter censeat.

Tentata est sane hæc lingua a pluribus eruditis, sed ut plurimum frustra: nec ulli eorum conatus sui deterius cessere, quam Athanasio Kirchero, qui in hoc studiorum genere nihil omnino vidit. Itaque Scala ejus, quam vocat Coptica, etsi eam, utpote e manuscripto derivatam negligendam non censui, parce admodum usus sum. Tot enim ejus errata in singulis fere quibusque paginisprehendi, ut fidem ei nullo loco temere habendam esse censuerim.

Habes, carissime Hasæ, præfationem operis quod totum in forma quarta majori elegantissime manu auctoris pictum, paginas continet 686.

Lexica conscribere ingentis esse laboris nosti, Herculem dices nostrum La Crozium, qui aliud Lexicon longe copiosius ARMENICÆ LINGUÆ jam anno 1712, perfecit. En tibi istius quoque titulum:

Di-

Dictionarium ARMENICO Latinum, summo studio & labore ex sacris Bibliis variisque Armenorum recentioris & veteris ævi libris elaboratum, a M. V. DELA CROZE, qui & præfationem addidit de usu & antiquitate Linguae Armenicæ. Opus istud non minus eleganter scriptum in eadem forma duobus constat tomis. Prior continet paginas 649. sine præfatione, quæ constat pagg. 99. Posterior vero tomus habet pagg. 622. Non puto hæc cimelia diutius ab orbe erudito debere abscondi, itaque ut hæc publice nunties, te etiam atque etiam rogo, si quid in eo peccatum fuerit, adsum qui feci.

Paucis mihi quoque monendus es de libello Ægyptiaco, cujus in præfatione meminit Cella Croze, qui mysteria literarum Græcarum enarrat. Autor istius libelli, ut ex narratione la Crozii habeo, fingit sibi, dum in causas inquireret cur Servator noster vocetur ω & ω apparuisse Angelum, qui mysteria literarum Græcarum illi omnia detexerit; Unicum cape exemplum literæ Π . Superior ductus Christum unicum petram denotat, duæ lineæ, quæ in superiori ductu uniuntur, Ecclesiam significant e Judæis & Gentibus collectam & huic petræ inædificatam. Quamvis enim secundum hanc interpretationem litera Π potius invertenda esset hoc modo Π , cum Ecclesia fundamento innitatur, modica tamen ista non curant mysteriorum studiosi, quia & commodam inveniant rationem, cur hic pe-
tra

tra superimposita sit duabus columnis, quia jam in caelis est & humeris Ecclesiae portatur per orbem. Angelus hic forte idem mystagogus fuit, qui Judaeos arcana literarum suspensarum, inverfarum, majuscularum, minuscularum &c. docuit. Fuit is quoque magister auctoris libri בעל הטורים qui ipsi aperuit mysterium כף קטנה טז in voce של אברהם בכה כי אם Gen: 23. 2. 5. ולבכותה היתה מעט לפי שזקנה היתה. i. e. Caph minusculum esse, cum parumper tantum fleverit Saram Abrahamus utpote jam vetulam.

Aliud est genus mysticorum, quod fidei nostrae arcana in fabulis gentilium reperit, eorumque Deos Christi typos facit. In istorum gratiam recudenda sunt *Gesta Romanorum cum applicationibus moralisatis* & *mysticis*. (c) ubi non Mercurius tantum sed & *Midas* cum Christo comparatur. Sed de his alias. Vale.

Dabam, Berolini die 27. Octobr.

1721.

(c) Impressa A. C. 1499. in fol.

J. C. VISCHERI

Epistola ;

In qua statum hodiernum
religionis in India orientali
describit.

Literas tuas gratissimas ipsis calendis Maji accepi, sed præter has hoc anno multas, ex quibus vota tua magna cum lætitia ac delectatione percepi, Desideras scire statum religionis ritus & populorum, & sacra gentium harum, quorum maxime notabilia hisce breviter perstringam.

Se.

(2) Hic idem ille est, cujus epistolam ad Johannem Tsetz Cl. III. fasc. V. p. 32. inseruimus. Hanc ad Patrem suum Tammerum Vischerum, Harlinganum, medicum doctissimum, scripsit, qui eam benevole nobiscum communicavit. Quanquam in ea nonnulla occurrunt, quæ alibi narrantur uberius, & alicujus adhuc elucidationis egeant, multa tamen continet lectu digna, quæ cum voluptate leges. Scripta est Couchinæ vel Cochinae, vel Cotchinae, quæ urbs, sita Goa decesseris, in illis oris fere maxima est, & inde ab a. 1663. quo Lusitanis erepta est, Belgis paret. Sita ad oras maris sub gradu X. latitudinis cis Aequatorem, in regno Malabaricæ. T. d. H.

Seres sive *Chinenses*, vicinique populi Japonenses aliique sunt gentiles plerique, extranei, atque Idololatæ: Soli, lunæ atque Syderibus, quibus neque pulchrius quicquam, neque salutarius imaginari sibi potuerunt, divinitatem tribuentes mox Monstra horrida, aliaque portenta adorarunt, atque immolarunt: Mirum sane populos tanta sapientia imbutos, qui; se solos oculos, Europæos monoculos, cæteros cæcos arbitrantur adeo insanire atque a ratione averfos esse; nullum invenies Chinensem, qui domi suæ non colat Idolum; Deum tutelarem, laresque suos habeat, vero Deo furenter & impie neglecto; his apponunt cibos, quasi cibus vescerentur, hisce accendunt semper lumina, quasi oculis capti non forent; in sepulcris dealbatis condunt cadavera, idque in horto suo, hisce mensas instruunt; O *Vesania* incredibilis! non poterant enim horum carnalium animi, vitiorum pondere ac libidinum misere depressi, diu in cœli regione versari. Horum ego omnium oculatus testis fui: ceteroquin satis astuti, sculptores imaginum egregii, sed imperiti pictores; horum, in *Batavia* (*Javæ* atque totius *Indiæ Batavæ* Metropoli) numerus 10000. excedit, frugalitate & Industria nulli sunt inferiores. De *Japonensibus* nihil nobis certi constat, nemini enim ex suis permittunt, e patria migrare; Christiana religio, in illis Insulis plane deleta, atque extincta est.

Class. V. Fasc. IV. Ccc sci-

scilicet ab illo tempore, quo dolus Jesuitarum palam factus est, atque innotuit Imperatori: nulli nationi Europaeae aditus patet ad Japonenses, nisi solis Batavis: & ipsi angusto in loco inclusi sunt, adeo ut nihil certi de iis praedicare possim; gentem tamen istam coloniam esse Chinesium docet forma & statura his similis, licet moribus atque institutis admodum dissimiles sint, quod sine dubio, ex odio, quo Japonenses illos prosequuntur, proficiscitur; quoniam ab his olim sedibus suis expulsos esse, antiqua fama fert.

Quod ad Insulas Indiae orientalis spectat, quales sunt *Sumatra, Java, Celebes* (in qua regnum *Macasser* praecipuum) viget apud Indigenas illarum religio Mohammedana, quae nullo modo videtur posse extirpari ex illorum animis, carnalibus voluptatibus nimium imbutis atque addictis, nec non regnum *Magni Mogolis, Persicum*, reliquaque loca, atque regna vicina, maxima ex parte hac secta sunt infecta, sed in terris, quae mari adjacent, plerumque sunt gentiles atque Idololatricae, ex quibus praecipue *Malacca, Siam, Bengala, Cormandelia, Malabaria* atque *Guzarata* sive *Cambodia*.

Si vero religionem reformatam spectes, illa his in oris obtinet, ubi nostri Batavi imperio potiuntur; Nullibi autem plures invenies Christianos, quam in Insulis *Amboina, Cassiophylliphoro, Banda Myristica, Ternate*, vi-

cinisque Insulis Moluccis, in quibus maxima pars extraneorum convertitur ad Deum verum. Bataviae multi sunt Christiani, quorum numerus cum vicinis proximisque locis & vicis, numerum 100000. superat.

Hic sedes, hic Imperium Batavorum, & Gubernatoris totius Indiae Batavae, qui multos reges potestate, Imperio, regnis, atque Ditionibus superat, atque antecellit; hic sunt Domus & palatia & horti amoenissimi, immensaque opum vis, cum qua paucae civitates Europae conferri possunt. Duo hic sunt templa, in quibus concio habetur lingua Batavorum vernacula, duo lingua Lusitanica, & unum lingua Malaica (quae filia est linguae Arabicae.) Duodecim & plures ibi, quandoque sunt verbi divini Ministri, quibus singulis mensibus praemium sive stipendium 225. florenorum Batavorum tribuitur laborum suorum, cum extra Bataviam ducenti tantum deferantur. In Insula *Ceylonia* canellifera sive cinnamomifera, numerus Christianorum reformatorum quotidie crescit, & augetur, sine dubio centena aliquot millia ibidem reperiuntur, nomenque Christo dedere. Ut reliqua praetermittam neque nimis diu inhaeream illis, quae mihi minus perspecta sunt, ad descriptionem orarum Malabaricarum piperiferarum quam maxime ac Cardamomiferarum, (cujus usus in cibis condiendis frequentissimus est in India vicinisque regnis) quarum plenior mihi cog-

tio, me conferam, utpote qui in illis ac præcipue ejus metropoli *Cochin*, per tres annos degi, ceterasque peragravi; illæ oræ se extendunt in longitudine sive ab Austro in Boream a promontorio Comorino ultra Goam; in varia regna atque principatus divisa, variosque populos complectuntur. Varia sacra, varios ritus & instituta habent: multi hic inveniuntur Indi, sine ullo regimine atque imperio, multi Mauri religione Mahumedana per Arabes invec̃ta, infecti: ipsa vero Gens seu Indigenæ Ethnicismum profitentur, ut & illorum reges principesque. Quatuor hic regna præcipua inveniuntur Schamorin, *Cochin*, Coloastri & Trevancor, & præter illa innumera minora, quæ majoribus non sunt subjecta, nisi in hoc, quod tempore belli delectus militiæ ibi habentur, ac copiæ conscribuntur, & quemadmodum Electores Romani imperii, imperatori sunt subjecti.

Tota illa gens in quatuor tribus est distributa, quæ nullo modo sese permisceri sinunt. Prima tribus est *Braminum*, qui se sanctos esse prædicant: hi sunt Medici, sacerdotes, pædagogi & consiliarii principum, hi sunt philosophi & Ethnicorum magi, in Astronomia, solis, Lunæ, Syderumque cursu, periodisque more Asiatico bene instructi; abstinent ab eduliis ex animantibus, & quicquid vitam fovet, desumptis, herbis, fructibus, oryza, ac lacte sustentant vitam. Horum conjuges sunt

sunt inviolabiles, cum illis contra liceat, quorumcunque conjuges, imo regum & principum, impune vitare ac contrectare; o execrabilis sanctitas! Secunda tribus est de *Xetrys*, ex qua oriuntur plerique reges ac Principes, sed horum filii non constituuntur hæredes regni sive domini, quoniam proles incerta est, sed sororum filii. Quod si vero Rex aliquis e tribu *Braminum* natus sit, cujusmodi tres aut quatuor in his oris reperiuntur, horum filii in regno succedunt; quoniam nemini licitum est illorum conjuges attrectare, neque cum illis consuetudinem habere; Tertia, Tribus est *Nairorum*, hi sunt milites atque Nobiles horum regnorum, sicuti Poloni, ab horum quoque multitudine se denominari curant jubentque. Sic Rex *Couchinensis* 40000. *Nairorum* sub imperio suo habet; his nobilibus non licet ducere uxores, sed concumbunt sine discrimine more bestiarum cum mulieribus ex sua tribu, harum mulierum una novemdecemve amantes habet, quo plures, eo nobiliores censentur. Ultima tribus vulgus dicitur ac fæx populi, & illa tamen in varias quoque classes divisa est, quarum prima *Chegu* & ultima *Poelcas* dicitur, hæc vero in servitute posita est. Horum omnium gentium, & Tribuum, & classium ritus, mores, ceremoniasque velle recensere, imo percurrere, & operosum nimis & longum & molestum tibi foret, & licet multi de his scri-

psierint, nemo tamen recte neque secundum re-
veritatem.

Numen quod adorant, dicitur *Ixoretta*,
quod in tria sese diversa distinxit Numina,
Ixora, Vestinum & Bramma;

Numen sibi finxere, quod horrendum dictu,
sub forma membri virilis, lapidei aut ferrei,
ut hoc ipso significarent, divinitate omnia
procreari, sic qui Dei præcellentissimum nu-
men ignorant, Deum sibi ex pudendis finxe-
re. Natura enim insitum mentibus humanis
est, esse vim quandam divinam atque æviter-
nam, qua omnia moveantur, procreentur ac
conserventur. Huic membro virili offerunt
pudicitias virginitatemque puellarum, adigen-
do illud, maxima cum vi, neque sine stillici-
dio sanguinis, O Execranda vis, ac crudele stu-
prum! cum ejusmodi stuprata puella, hoc
modo fano est consecrata, dicatave, occi-
duntur Gallinæ, forasque quasi in sacrificium
projiciuntur, sic etiam stupris atque flagitiis
immolantes.

Nihil magis inviolabile illis est, quam Bos fe-
mina, qui eam occiderit, confestim illi mors
oppetenda, haram vaccarum statuæ & imagi-
nes, adorantur in Delubris, imo sterces illa-
rum, ut quid sanctum, quodque omne infor-
tunium arcere possit, postibus apponitur: o
quam misera ac animalis gens! qui non quadru-
pedum tantum, & serpentum simulacra ado-
rant, sed & Deum in monstris Horrificis, in
im-

impuris voluptatibus, in terrenis sordibus, & stercoreibus inquirunt, sic sine ullo fructu, omne studium vitæ, in hisce noxiis falsis ac nefariis superstitionibus consumentes. Habent & Excelsa, sacratasque arbores, his accendunt lucernas, precesque coram ipsis fundunt. Sunt & hic meretrices, suis fanis ac delubris consecratæ, dicatæve: quicquid præmii, & mercedis ex stupris colligunt, redundat in Emolumentum fani istius, quod & olim apud Babylonios & Cyprios obtinebat.

Superstitiosi admodum sunt in observandis tempestatibus, fulguribus, tonitribus, & avium volatibus. In nostris ædibus, nec edere nec bibere illis licet, & contactu nostrorum, se impuros esse arbitrantur; lavant se quotidie magna cum superstitione, ceremoniisque, frontemque ligno santalo, cum merdis bovinis mixto se coinquinant, ut & hinc & inde, brachia, & corpus, impurissima sic religione constituta, in signum se jam edisse & lotos esse; comburunt suos mortuos, cineresque abscondunt: Noxii, vel sua tribu ejiciuntur, vel caput illis amputatur, vel servitio adducuntur, vendunturque. Connubia mature ineunt, neque puella decem vel duodecim excedere, debet annos, sed tamen ante decimum tertium marito cum illa concumbere non licet; viduis secundum conjugium interdicitur, & statim post obitum mariti, capillis, omnique mundo muliebri privantur,

gestant mulieres monilia in auribus, naribusque, & armillas in manibus pedibusque uti olim more receptum erat.

Juramentum illis est, maledictio Regis *Ramma* dicta, etsi quis virgultum terræ inseruerit, cum *Ramma* dicta regis, eam colere illis tunc non licet, nisi prius maledictio sit sublata; sustentant se, alunturque reges & plebeji *Oryza*, fructu cocos, & pisang, bibuntque aquam, lac, & vinum ex coco vel palma factum.

Sed ut ad Christianos harum orarum trans-eam; Sunt hic multi Romano Catholici, qui & hic suos, Archiepiscopos, canonicos, sacerdotes, vicarios, aliosque clericorum ordines habent, a Papa Romano cum Lusitani has oras tenebant, creatos; pauciores vero Reformati, & denique Christiani, a Divo Thoma sic dicti, quorum originem & instituta, secundum rei veritatem brevibus tradam.

Sunthi origine & gente Malabares, a Divo Thoma Apostolo, ut ferunt, conversi ad Christianam fidem, quique venit primus, in opposita harum orarum parte, dicta *Cormandelia* anno salutis 45. ille convertit quosdam horum Indorum, ad fidem in Christum Jesum; & quasdam constituit Ecclesias, dein jūga montium transiens, venit in terras hasce Malabaricas, & heic constituit aliquas Ecclesias; duosque ex suis sociis reli-

reliquit doctores: ipse vero reversus in oras
 Cormandelias, sacraque peragens, occisus
 est ab Ethnicis Idololatriis, atque hoc modo
 ut Martyr vitam finivit; nisi mavis fidem
 habere potius, Heraclioni hæretico, Apo-
 stolorum ætati perquam vicino, qui Thomam
 nostrum (ut & Matthæum & Philippum)
 citra Martyrium mortem obiisse prodidit;
 post ejus obitum, & duo Doctores, post-
 quam aliquandiu Ecclesiæ Malabaricæ præ-
 fuissent, eamque rexissent extincti sunt, &
 cum illis zelus religionis aliquo modo inter
 Christianos imminutus, ac deletus est; In-
 ter alios prodidit Magus quidam Mannaca-
 vasser dictus, qui multos falsis suis miraculis,
 a fide Christiana abduxit; Eo tempore 160.
 familiæ (quas tanquam generationes magnas
 habere debes) exstiterunt, quæ Christo adhæ-
 rebant; hæc familiæ ob defectum Doctorum,
 & ob quotidianum cum Idololatriis commer-
 cium, ad 96. & tandem ad 64. imminutæ
 sunt. Hic erat status Christianismi in hisce
 oris, ad annum 700. ut breviter omnia con-
 traham: cum mercatores quidam Hierosoly-
 mitani in has regiones appulerunt, qui cum
 maximè harum familiarum Christianarum læ-
 titia, atque admiratione recepti sunt, quique
 ad hoc tempus alios præter se in mundo esse
 Christianos ignoraverant. Quum igitur ab
 his mercatoribus, in vera fide essent con-
 firmati, se recepere Hierosolymam in pa-
 triam.

triam. Cum igitur Christianus Episcopus, qui sedem fixerat in Orpha sive Ourpha (ex clarioribus Syriae antiquae seu Diarbeciae urbibus una) hæc intellexisset, misit Sacerdotes, aliasque familias Christianas, in hæc ditiones, qui se cum Christianis Malabaricis junxere, quique cum illis in unum corpus coaluere; ab illo tempore subjecti aliquo modo fuere Ecclesiae orientis, habentque hoc tempore unam eandemque cum illis fidei formulam; Episcopus ex Syria vel Babylonia illos regit, textus illorum originalis est testamentum Syriacum. Tempore regis Ceramproumalis, qui celeberrimus harum orarum rex extitit, & qui fundamenta hodierni imperii Malabarici jecit, unde & calculus annorum Malabaricorum orditur, tribus privilegiis hi Christiani Divi Thomae donati fuere 1^o. sc. mercaturam exercendi, tamdiu, quam durat sol & luna 2^o. publica templa extruendi. 3^o. Quod nullus ex illis, ut servus vendi possit; Hoc contigit anno C. 825. stetit ecclesia, sub hac forma ad annum 1500. cum Lusitani illorum statum misere afflixere, occidendo illorum Episcopos & instigando regem Couchinensem, ad illos persequendos, qui sese subicere Papae Romanae recusabant, pro quo facta præmium 30000. ducatorum aureorum nactus est. Sacerdotibus illorum interdicebant connubia inire; mis-

eue.

sigillatim memoriae prodiderunt, Gerhardus Geldenbaurius; Noviomagus, Melchior Adami, Vitarum Professorum Groningensium Auctores, alii, quidquam, quod huc faceret, habent. Neque à loco natali ita dici potuit, cum eum Baffloae, qui agri Groningensis duabus ab urbe Leucis distans pagus est, natum esse nos doceat Ubbo Emmius in Hist. RR. Fris. L. XXIX. p. 457. Fortassis, sicut illi, qui in carminibus pangendis excellunt, ora proluisse fonte Caballino dicuntur, aut undas potasse Aganippidos, aut Castalias, ita ei, cum, teste Paulo Jovio, tantum profecerit in Hebraicis, ut *Hierosolymis natus educatusque a doctissimis crederetur*, de fonte Hierosolymarum Siloha, nomen dederunt, ut eum rariori illa aetate linguae sanctae cognitione imbutum significarent. Qui me certiora docuerit, rem mihi non minus gratam facturus est, quam si mihi indicaverit, quaenam ratio sit cognominis RIZAEI, quod magno Viro Alberto Hardenbergio, à Johanne Molano, in illo epitaphio, quod etiamnum Emdae in templo majori, in pariete lateris australis, insculptum orichalco, visitur, datum est.

T. d. H.

